1
2
148

1K.2

Digitized by Google

BELLUM CIVILE MEDICUM

Digitized by Google

FRANCISCI ALFONSI DE DONNOLIS

Patritii Ilcinenſis, Lectoris Patavini

BELLUM CIVILE MEDICUM

PROLUSIO.

Illuſtriſsimis atque Excellentiſs. Archi-Gymnaſii Patavini

MODERATORIBUS

DICATA

JOANNI LANDO

HIERONYMO VENERIO

FRANCISCO LAUREDANO

SENATORIBUS AMPLISSIMIS

Equitibus, ac Divi Marci

PROCURATORIBUS.

PATAVII, M.DCCV.

Ex Typographia Hæredum Penada.

SUPERIORUM PERMISSU.

Digitized by Google

Quod enim deerat certandi genus, nuper aſſecuti ſunt: ut nemo illis valeat reluctari; uſque adeò in verborum altercatione fortes evaſerunt, promptique ad quodvis dictum ſeu verum, ſeu falſum ſit refellendum.

Plato in Euthidemo.

Quis ergo contra tantum Exercitum pugnare audeat,
Quin ridiculus habeatur?

Idem Plato.

. Sed illos
Defendit numerus, junctaque umbone Phalanges.

Juvenal. Sat. 2.

Digitized by Google

ILLUSTRISS. Atq; EXCELLENTISS.

Hujus Archi-Gymnaſii Patavini

MODERATORES

SENATORES AMPLISSIMI.

CUm fermè ad duos fines militemus (*ILLUSTRISS. & EXCELLENTISS. MODERATORES*) alterum Hominis, alterum Artis, *dicat Hippocrates ; Si primum, hominis reſpectum referam: nullum aliud michi Indumentum ſublime acceſſit, nullum Nomen, nulla nobilior facies, quam Servil decor nempe precipuus, huic* SERENISS. *ac* FELICISS. REIPUBLICE VENETE *inſerviendi, cui nullis meis meritis, ſed ſola tanti* PRINCIPIS *munificentia, per tres fere & viginti annos in Nobiliſs. hoc Patavino Archilyceo operam, & ingenioli mei conatus impendo: multo magis huic muneri addictus; quo haduc ab elapſo jam Triennio, benignitate, & humanitate Excellentiſs. Magiſtratus, ad* AUGUSTISSIMUM SENATUM *evectus : e Se-* In epiſt. num. 19.

Digitized by Google

tunda, ad Primam Theoricæ Extraordinarie Sedem adauctus, translatus fui. Ob magna hujus SERENISSIMI PRINCIPIS *Majeſtas? Ob maxima, & divina hujus Regiminis Gubernatio? Oh ſumma ipſius in Deum pietas, in Arma ſedulitas, in Literas ſtudium, & vigilantia? Quid amplius? ſi Terræ, Mariſq; Bella, & ſollicitudines, ſi Anomalia, & cum indifferentia, Martis recurrant innate Magnificentie tenax, ſuiq; amoris non immemor; ne unquam pro excolendis Fideliſſimorum Subditorum ſuorum ingeniis Scientiarum omnium Minera deficeret, immo & Aduenis ſtet parata; in hoc Ampliſſimo Atheneo Palladem ipſam perenniter fovet, ac ſuperalit; ratus quod ad integram Populorum felicitatem, ſit neceſſaria cum Sapientia Doctrina. Ut hinc per totum Orbem, quantum* SERENISS. *hujus* REIPUBLICE *Majeſtas Armis, & Imperio adaucta preſefertur; tantundem & Literis decoratam, omnes utique Gentes perciperent. Qua de re, ad tanti* PRINCIPIS *beneficientiam ipſe raptus: jam quod mihi datum non eſt illi inſervire Sago, ſed Toga; preter ea quæ me vere ſpectant in publicis Prelectionibus, Officia boni Servi adimplere: nullum ſubterfugiam laborem; quin mediter ea etiam cum Seneca quæ bonum publicum conſequuntur, ac meam ſimul decent honeſtatem. Quod ſi olim Aſinio Pollione Prætore, Servi Patavini adeo fideles ſuis Dominis ſe præſtiterunt, ut quamvis decreto præmio neminem panderent: multo magis ii qui tanto* PRINCIPI *Patavii inſerviunt, tenentur ſatagere; ut e contra tempore loquendi non taceam, dummodo palam, non clam loquantur. Si vero alterum reſpectum Artis attingam; Ipſe Medicinam agens, & docens: uti Medicus adeo Artis amore capior; ut tamquam zelotipus ægro animo feram, videre, & audire vetuſſimam, ac venerandam Antiquorum Medicorum Doctrinam à Novatoribus dilaniari; ut mihi viſum ſit Maximum hoc inconveniens; non eſſe ſub ſilentio prætereundum. Non tamen ita audacter, ut olim Campanus in Paracelſiſtas proſequor: non adeo acriter ſicuti fecit Hofmannus adverſus Chimicos inſurgo, nec increpo: ſed arguo, obſecro! ut magnos hoſce Viros ab eorum inſtituto dimoveam; defectionem abluam, atque ſubliniam: ut hoc Medicorum Civile Bellum quod jam incruduit, ſaltem deplorem, ſin minus demulceam. Et ſi horum magnorum ingeniorum acervus, me veluti amentem derideat: numquam ob id proferam dictum illud Democriti,* quod apud ſtolidos labor virtutis inſania judicatur; *immo meam fatebor inſaniam! ſed eam tamen quam fuit meditatus Solom conſulturus Athenienſes de Salamina conſequenda: qui cum in Comitiis fruſtra loquutus fuiſſet, ut Sapiens; mentitus ſtultitiam in Foro, receptus profuit: quo forſan exemplo edoctus Junius Brutus excluſit ab* Urbe *Tarquinios. Hinc ad Vos* ILLUSTRISS.

In Lib. de Ocio Sapientis.

Macrob. in Satur. lib. 1. cap. 6.

In Præf. ſui Operis.

De vero Uſu, & Profabuſ. Med. Ch.

Hipp. in Epiſt. n. 28.

Diog. Laert. in Vita Solonis.

TRISS. atq; EXCELLENTISS. hujus Archi-Gymnaſii MODERATORES, totus acclinis reverſus! in quibus veluti in Trino benigniſſimo Cæli aſpectu, collectum permanet omne Jus: Quibus ab AUGUSTISSIMO Senatu data eſt omnis Litteraria poteſtas: Quorum Prudentia; Quorum NOMINVM gravitas, & celſitudo, non in Vrbe Regia Veneta tantum; non in ſujus SERENISS. REIPVBLICÆ ampliſſimis finibus; ſed per Aulas Maximorum Principum, condecorata perſonant, atq; refulgent: quorum nutu tota hæc moles revolvitur, & tota hæc noſtra Minerva ſubjicitur, & obtemperat! Ad VOS inquam, qui innata humanitate, conſueta que animi magnitudine Oblationes eas recipitis; quæ non minus à corde bonæ voluntatis eructant, quam in obſequium parantur: deprecans ut Opuſculum hoc, quod veluti Phenomenon per Aera volitans apparet; ſub feliciſſimis Auſpiciis veſtris recipere non dedignemini, & in ulnis veſtris conſiſtat. Labor enim hic, parvæ molis quidem: ſed tanti ponderis bene conſideranti adeò eſt; ut niſi exigat à Patronatu robur, & vim; tamquam à nimbis vexata Ratis periclitabitur, non minus diſſolvi, quam deperdi. At quia tàm ad reſpectum Hominis, quam ad reſpectum Artis reſpiciens Hippocrates, dicebat Quod opus eſt in utriſque his etiam fortunæ: pro Viribus interim Vos oro ILLVSTRISSIMI, atq; EXCELLENTISSIMI PATRES, ad eſſe mihi ſemper propitios, ad eſſe michi Semper Deos; fruar, vel non fruar, numquam iratos. In Epiſt. num. 29.

E. E. V. V.

Patavii Idibus Aprilis 1705.

Humiliſs. Addictiſs. Obſequentiſs.
Franciſcus Alfonſus de Donnolis.

NOI

Bellum Civile Medicum.

PROLUSIO.

SEmper ego auditor tantùm? numquàmne reponam vexatus toties? nam quis tàm ferreus, ut teneat ſe? eatur quo itur; & cum jam totus Orbis poſitus in gladio ſit, Nos quoque ad Arma, ad Prelia movemur, non enſe, ſed calamo, non ſub dio, ſed ſub umbra dimicaturi; non externis, ſed bellis civilibus laceſſiti. Quod ſi hæc cum Mario per Urbem: ſi cum Cæſare per Hemathios Campos revolvimus; nec miſeriarum objectum acrius, nec facinus lacrimarum funeſtius Roma dedit: Quandoquidē ſuimet Filii Viperarum more viſcera erumpentes, Patriam ipſam dilaniavere: & eo ferro, quo Perſæ melius periiſſent, in ſpectaculum, atque in libertatis ſepulchrum vertere ſunt conati. Hinc Clodii obitus, Hircii, Panſæque funera; Pompeii interfectio; hinc Bruti interitus; nobile Catonis lethum; capitis Ciceronis exciſſio! adeò ut non ſolùm Heſperiam luctuoſam, ſed ſpecioſiſſimam tunc Reip. faciem, in turpem, atque deformem ſervitutem reddiderint. Verùm ad quid per Arma digredior? ad quid Pila pugnantia Pilis, Aquilas Aquilis adverſas recolo? ſi adhùc & Literæ, ſtudia, & elucubrationes in hujuſmodi erumpunt ſcandala? Pallas enim tota in ſe ruens, irrequieta, eſtro tentata malorum; ita afficit, ita efficit, ita officit; ut Studioſorum Animæ in Seditonem redactæ, Scientiarum omnium minentur interitum, & earum fidem detorqueant. Quod Gimnoſophiſtæ inter ſe diſcrepent, non obeſt: quod Grammatici, & Aretalogi inter ſe diſceptent, nil refert: quod Aſtronomi tria Siſthemata pandant, quid ad nos? quoniam humano generi non derogant, nil addunt, nil diminuunt; neque ſuis placitis ſanitatem inferunt, neque ſuis dicteriis mortem, vel vitam commutant. At oh nefas! ad hoc devenimus, quod in ea facultate, in qua cum Hippocrate omnis Sapientia præpollet, in qua cum Galeno ſtat omnis Animalis internecio, in qua cum Pythagora dedit Deus veritatem eloqui, & mortalibus facere benignè; in hac, in hac magis, quàm in cæteris, ictus, & irritamenta, inceſſus, & ſagittæ tenduntur, nimirùm in Medicina. Hinc Græcorum Proceres irriſi: Arabum

De Decr. Hoi n.n.6. 1. Aphor. com. 1.

Eurn. de orig. Med.

Canones neglecti: Latinorum Principes conculcati; en ſpecimen? en Novatorum pernicies! Curioſorum Murmur! Baccanalia Dicacitatis! Hippocrates laceſſitus; Galenus Spretus, Avicenna damnatus, tota veneranda Antiquitas confoſſa, & firmiſſimæ Priſcorum Scholæ ad Fabulas jam converſæ; ut omnibus penitùs immutatis, Recentiorum Sententiæ in Cœli vertice; Veterum verò (quod magis mirandum eſt) toto hujus Mundi applaudente Theatro, integro cachinno ſub pedibus reponantur. Sed ulterius adhuc tàm miſerum, ut cum Juvenali loquar, ut non deterius credas! Quin ulla Veterum veſtigia relinquerent, & funditùs omnia Neoterici deperderent; Priſcorum terminos tamquàm obſoletos, & ſilveſtres aſpernantur: novas voces, novos ſcribendi caracteres meditati ſunt, ut omninò, ſicuti Barbari Italiam vaſtantes; Civitates non ſolùm, & ædificia, ſed vernaculam quoque linguam everterunt; ita & iſti hanc viciſſitudinem intulerint. Quod ſi tantum rerum noſtrarum ſimus ſcientes, ſuarum verò ignari; tamquàm rudes, & opici deridemur; & ſic factis, & dictis totum Medicinæ Principatum potiti, ad hoc res devenit, ut cum Platone ii Medici, qui deberent eſſe veluti Mancipia, ſint Domini; & illi, qui deberent eſſe veluti Domini, pro Mancipiis habeantur. Tædet me non habere verba ſeſamo, & papavere ſparſa, neque mellitos verborum globulos, ut ſaltem delicatioribus placeam; ſed cum hæ Columnæ Lectorem docentem, non eloquentem requirant, ipſe ſemipaganus non erubeſcam, veritate magis, quàm lenocinio loqui, & Bellum hoc Medicum Civile dum detego, pro Viribus ad Pacem, atque Unitatem hortari. Cecidit Gracchus, quia de Lege Agraria: ipſe autem non de Agrorum, ſed de Ægrorum legibus percurrens, ab hoc Capitolio deſinam, ſed non cadam.

In Dialogo de Regno.

Verum enim verò, ut magis, atque magis præſens argumentum eluceat, non erit abs re de aliis quoque (ſi quæ in Medicina fuerint Civilia Bella) aliquid perluſtrare, ſumpto à primordiis ipſius Artis initio; progreſſum Artis in quinque ætates dividentes. Primam ætatem conſtituemus ab Inventione Artis, ejuſque proceſſu uſque ad tempora Hippocratis. Secundam ab Hippocrate uſque ad ſuos Poſteros, ejuſque doctrinæ ingenuè militantes. Tertiam à defectu, & obliteratione ejus Scholæ uſque ad tempora Galeni. Quartam à progreſſu Galeni uſque ad noſtri ævi conſtitutionem, & paulo

& paulo ante . Noviſſimam demùm ab hiſce temporibus uſque in præſens, & tempora intercurrentia. Cum enim ætas tàm ſumpta propriè, quàm Metaphoricè in ſuo curſu, & in ſuis partibus nil aliud ſignificet, ut in Libro de Rerum definitionibus docet Franciſcus Piccolomineus, quàm diverſitatem conſpicuam; nulla alia conſpicua diverſitas poteſt dari in tota Arte, quàm in hiſce quinque ætatibus, in quibus totidem evidentiſſimæ alterationes emerſere, uti erimus patefacturi.

Si igitur primam Artis ætatem ſpectemus, Plinius à Diis profert Medicinam habuiſſe primordia; unde mirum non ſit, Hippocratem in ſuo Jusjurando Igeam, & Panaceam, & alia Numina invocaſſe. Verùm ambigitur, qualisnam fuerit Deorum primus, qui eam introduxerit; ſiquidem Polidorus Virgilius modò facit Mercurium, modò Apollinem, modò Apim, ut apud Ægyptios quale nam Numen fuerit, ſit incertum. Græci verò poſuerunt Chironem, nonnulli Æſculapium; Troiano autèm Bello progreſſi ſunt Machaon, & Podalirius, inde Melampus, Ariſteus, Polida: ab his fluxit ad Acronem Agrigentinum, ad Critonem, ad Philiſtionem, Philimum, Menodorum, atq; Menecratem; ſed omnes Empirici fuere; nimirùm ab obſervatione, & ab experientia: & ideò quia ſine ullo ratiocinio medebantur Empirici dicti ſunt, ut ait Galenus in Libro de Sectis: quæ Secta antiquior omnibus, diuque perduravit; in qua nullum Civile Bellum Medicum, nec ulla fuit Seditio. Hoc autèm ſciendum eſt ad totius hujus ævi notitiam, quòd Podalirius poſt Trojanum Bellum, ob tempeſtatem non in Scirum Cariæ Civitatem, ſed in Inſulam Scirum per Egeum appulſus, ubi cum ſibi difficile ſuaſiſſet in Peloponeſum eſſe rediturum, acquievit: ibique Artis Medicę Scholam aperuit; adeò ut ex ſuccedentibus temporibus per tres Inſulas hæc Schola dilataretur, nimirùm in Rhodo, in Coo, in Chio: unde æmulantes inter ſeſe hujuſmodi Scholæ non acquieſcentes ſola experientia, & obſervatione, inceperunt ratiocinari, qua de cauſa proficerent, vel deficerent infirmi, cur modò ab uno, vel altero medicamento læderentur, vel auxiliarentur; cur uni noceret, & alterum juvaret, & perſimilia hujuſmodi, à quibus veluti principium aliquid obſcurum habuit Medicina Rationalis, & hoc facere fuit quędam Artis Amplificatio, non Bellum.

Verùm cum Coorum Schola magis, atque magis Rhodienſibus, & Chienſibus Medicis reſulgeret, acceſſit in hac Hippocrates, per

quem

quem ſecunda Medicorum ætas eſt conſtituta. Siquidem Rhodienſes in Libro de Natura Humana, & Chienſes in Libro de Ratione victus in Morbis acutis, ac in utroque Libro Prædictionum redarguens; ex integro Medicinam Rationalem ſancivit; non ſolùm Theoreticis primis poſitis fundamentis, verùm & quoad Praxim omnia dirigens, quæ tam ad Chirurgiam, quàm ad Pharmaciam, & Dietam ſpectare videbantur; non minus circa Sanorum, quàm Ægrotantium corporum, decrevit Artem. Et quamvis ipſe Galenus ſcripſerit in Libro de Sectis; Logicę, ſeu Medicinæ Rationalis Hippocratem fuiſſe Inventorem; in hac tamen conſtitutione non poſſumus aſſerere, Bellum iniiſſe Civile, quia Hippocrates detegit, corrigitque tantùm errores, quos ſub eodem genere medendi aliæ Scholæ prodiderant, ſed perperam conate fuerant: pro qua re cæteræ omnes Gentes, tamquàm purgatam, & illuſtratam, Hippocratis hanc veluti novam recepere Doctrinam. Poſt Hippocratis obitum viguit hęc ejus Schola Medicinæ Rationalis, & Uſus apud ipſius Filios, Theſſalum nempe, & Draconem, & adhuc in Nepotibus, & Abnepotibus; donec ad Dioclem Cariſtium, & ab hoc ad Praxagoram Chium ſtetit, remanſitque: qui ultimus Hippocraticæ, veræ, & ingenuæ Doctrinæ poteſt dici ſuperſtes hęres, quæ omninò per duocentum, & amplius annos ſine ullo Schiſmate integra valuit.

Cum autèm Praxagoras reliquiſſet ſui Gymnaſii tres celebres Alumnos, videlicet Philothimum, Eudemum, & Herophilum, hi veluti totius Artis Triumviri, tamquàm inter ſe dividentes ſpolia, unuſquiſque proprium aperuit Lycæum, ut ab hac diviſione Scholarum, tertia Medicorum ætas fuerit conſtituta. At quia Heurnius profert, quòd hi Viri Scholam Rhodienſem, Chiam, & Coam ſtatuere, ipſe credam tantùm, quòd deperdita jam placita harum Scholarum denuò recepta fuerint, non quòd unuſquiſque perſonaliter adiverit: quia jam per Succeſſores Podalirii, multo anterius, ut jam dictum eſt, hujuſmodi Scholæ in hiſce Inſulis fuerant erectæ. Cum itaque iſti tres magni Viri tria Lycæa aperuerint; inceperunt ab Hippocratica doctrina dehiſcere, inter ſe diſſentire, varias, & adverſas ſententias producere, novaſque poſitiones effingere. Hinc eſt, quòd eorum Aſſeclæ de uno in alium errorem inciderint, inceperint refelli, atque adinvicem refutari: ut in hac ætate non ſolùm Primum Civile Bellum, ſed Babylonicam Confuſionem effuderint, ut per multa ſecula tota Ars mutila, deformis, & incerta

claudica-

claudicaverit, adeo ut mirandum non ſit, quod Plinius libro 37. naturalis *Hiſtoriæ* de Medicis tam maledixerit, ac fuerit objurgatus: quia tunc temporis Ars, non ſcientia, ſed opinione, & arbitrio moderabatur; unde Eraſiſtratei, *Herophilei*, Aſclepiadei; hinc plurimæ *Hæreticorum* in doctrinam *Hippocratis* Catervæ, ut Neronis tempore non erubuerit Theſſalus dicere: *Cum novam Sectam condiderim, ut quæ ſola vera ſit, & quæ vera eſt, quia qui ante me Medici fuerunt omnes, nihil utile prodiderunt, nil ad ſanitatem tuendam, vel morbos profligandos*, ut in hac Blaſphemiam temerariiſſimè eruperit, *quod & Hippocrates noxia præcepta tradiderit!* Hoc primum Civile Bellum per 400. & amplius annos perſeveravit: nimirùm 200. & amplius ante Chriſti adventum, totidem deſuper ab Incarnatione. Et hoc Bellum dici poterat Dogmaticorum, quoniam unuſquiſque Medicus propria Dogmata medendo tuebatur, uti V. G. Galenus in Libro de Sectis affert de Chriſippo, qui conſtituebat tàm Sanitatem, quàm ægritudinem conſiſtere in ſpiſſitudine, & raritate: nec in medendo ullas alias intentiones haberi, quàm rarefaciendi, vel inſpiſſandi. Sic ii, qui Diatriton conſtituere, per primos tres dies in omni ægritudine, uti Sequaces Aſclepiadis, ab omni victu abſtinendum eſſe docuerunt. Ita & Eraſiſtratei ſanguinis miſſionem improbabant.

At doctiſſimus Galenus, cum Romæ temporibus Antonini Pii Cæſaris medicinam faceret, doceretque, Quartam Medicinæ ætatem conſtituit. Dogmata namque celebrium, mortuorumque Medicorum ſcribendo evertens, & viventium fallaces ſententias, atq; erroneas diſputando conterens; Hippocratis doctrinam illuſtravit, vindicavit, redemit, ampliavitque, & quod magis intereſt, propriis fundamentis adeo fulcivit; ut verè Rationalem, atque Methodicam effecerit: cùm propria Minerva Methodum non ſolùm medendi fuerit meditatus; ſed in omnibus rebus perſcrutandis adeò ſollicitus, ut de tranſactis jam Hæreſibus, vel adhuc exiſtentibus omninò triumphaverit; & adeò bene totam Artem à Theorica ad totam Praxim diſpoſuit, ac difficultates omnes contrivit; ut in Lib. de Method Med. glorietur, quod ſicut Trajanus Cæſar, pontibus *Lib. 1. Met. Med.* ſuper flumina comparatis, ac per montana, locaque devia, omnibus dirutis impedimentis, per ſemitas jam faciles, regna diſſita, totumque Orbem pervium, atque ſociabilem effecerit; ſic & Ipſe, omnibus erroribus à Medicina expurgatis, firmam, ac tutiſſimam

B adeò

adeò reduxerit; ut Poſteris non eſſet ampiius elaborandum, ſed ſuæ Doctrinæ tantùm inſiſtendum, eamque ſufficeret callere, benèque exequi, abſque eo, quod pluſquàm oporteat ſapere, ſaperemus: Hæc Galeni ſolertia, hæc dimicatio non fuit Bellum Civile, ſed Reparatio, & totius Artis Compoſitio; unde jure merito in doctrinam conjunctim Hippocratis, & Galeni acquieſcere deberemus. Quare per has quatuor ætates, quatuor hucuſque medendi Siſtemata habuimus: In prima enim Medici tantù m Empirici degerunt; in Secunda Rationales; in Tertia Dogmatici, & Civilia Bella gerentes; in Quarta, quæ tota Hippocratis, & Galeni eſt: Rationales ſimul, & Methodici floruere, omnimoda pace adaucti, per mille, & quingentos annos plena tranquillitate potiti, atque ſuffulti. At quia ineunte hac Quarta ætate 600. abhinc annis, & amplius fulſit admodùm Schola Medicorum Arabum, in quâ præcipuè Hali-Abbas, Avenzoar, Rhaſis, Averroes, & Avicenna floruere, qui totam Theoricam, & Practicam Medicinam perbellè in unum Codicem digeſſit; quærere aliquis poſſet: Nùm hæc debeat dici alia ætas, & nova, vel intercurrens? Reſp. quod non: quia Siſtematha Hippocratis, neq; Galeni permutaverunt, ſed ad eorum mentem Medicinam totã profeſſi ſunt, iiſdem fundamentis innixi; adeò ut niſi pulchriorem ordinem, & majorem concinnitatem in Canone Aviceunæ poſſimus mirari, & ea, quæ per tot ſcripta Volumina diſperſa erant, in unico tantùm Avicennæ legerentur diſpoſita; ratione, atque methodo ſimul illuſtrata: unde Adagium illud profertur, quod Hippocrates frumentum ſatum tradiderit, Galenus culturam, Avicennas verò ſub oculos noſtros meſſes colligat, & in horreo ſervet. Hinc eſt, quod undique cognita pro vera, atque tuta horum trium magnorum Virorum doctrina: Principes, Reges, & Reſpublicæ, in publicis Lycæis explanandam, & profitendam tradidere, & ſanciti ſunt; ut nemo ad Lauream Doctoratus accedat, niſi ea firmiter ſit imbutus.

At nunc dicere poſſumus cum Juvenale, quod patimur longæ pacis mala! & cum Horatio

Epodo 10. *Altera jam teritur Bellis Civilibus ætas,*
Suis & ipſa Roma viribus ruit.
Quæque carent ventis, & Solibus Oſſa Quirini,
(Nefas videre!) diſſipabit inſolens:

quoniam inſurrexerunt adversùs nos Paracelſiſtæ, Helmontiſtæ,

insurre-

inſurrexerunt & Villiſſæ, & qua data porta ruunt Novatores omnes ad libidinem, ut iſtorum facinus ſit magis Victoria, quàm Bellum; Triumphus, non Dimicatio! & quod lacrymabilius eſt, Anathomici ipſi, quamvis priſco fœdere nacti, ita præcipites à Veteribus deſcivere; ut cadavera ipſa detorqueant, ac totam humani corporis Authopſiam in Antiquorum ſpretum præparent, & in contumelias effodiant! Quare receptis undique Sale, & Sulphure: receptis acidis, & alchalicis, erumpentibus nitroſalibus, fermentis ebullientibus, limphis irrigantibus, humoribus ipſis ex particulis, & molleculis compoſitis, ac propriis ipſiſmet figuris operantibus; elementa omnia jam abjecta ſunt, facultatum vana nomina reputantur, & obſoleta: atque ad Mechanicam actiones omnes inferendo, & Microſcopiis, Teleſcopiiſque novo homine ſpeculato, tamquàm anterius non fuiſſet idem, veluti novum Orbem revoluunt; ut hinc funere Jecori indicto, ſanguine perpetua vertigine indicato, fibrillis, tubulis, novis plexibus, glandulis innumeris, variis ductibus, puteis, & ciſternis adductis; ita mare Cœlo, terràque confundunt; ut everſo ex integro antiquo Medicinæ Siſtemate, novo indigeamus Nomenclatore ad hoc, ut talis Medicinę aſpectus recognoſcatur. Non licet in hac temporis anguſtia Criſpinos hoſce ad partes revocare; quod facere proprio loco, & tempore reſervamus. Sed in pręſentiarum mei muneris tantùm erit rationibus ſuadere, ut eatur quo eundum, & non quo itur; nimirùm quod tàm docendo, quàm in Medicinam agendo ſemitas Antiquorum, & non documenta Recentiorum ſequamur.

Illud primò ſciendum occurrit, quod Intellectus fit omnia; & ille quoque per modum recipientis objecta recipit: qua de re vera interdùm pro falſis, & falſa pro veris amplectitur, ac deſponſat. Unde in Libro de Natura Deorum dixit Cicero, quòd *Nullum abſurdum ſit dictum; quod ab aliquo Philoſopho non fuerit dictum*. Sic Plutarchus de Placitis Philoſophorum tot abſurda recoluit, ut facile ſit intelligere, in quot magnis rebus magni illi Viri aberraverint: quod & ex Diogene Laertio clariſſimè apparet. Ita & ipſe non miror, quod hujuſmodi ingenia à communi conſenſu potuerint deflectere: cum enim capti fuerint ambitu, ut à cæteris diſtinguerentur, intellectus illuſione perciti propriam opinionem ſunt deſponſati: Siſtemata namque diverſa, & Hypoteſes diverſiſſimas à conſenſu reliquorum: ad quod meditandum maximè potuit concurrere ipſum animi temperamen-

Ariſt. 3. de Anima tex. 8.

Peretius Lib. de ſomn vanit. &c.

tum,

tum, ut primò de Dieta circa finem ex Hippocrate colligere poſſumus. Quoniam in calida animi, & ſicca temperatura, homines maximè novitatum cupidi, & contemptioſi exiſtunt, & ſi atrabilares ſint, multo magis moroſi cæteris adverſantur. Inde cum *uvaque diſtecta livorem inducat ab uva*, ſic Aſſeclas in Hæreſi, & Sequaces
Sat. 15. cumulant, atque confirmant, eo modo quo cum Juven. Ombo, & Tentira adorant Canem, nemo Dianam. Ad quam Intellectus illuſionem reſpiciens Hippocrates in Lege, dicendum habuit; *Duo ſunt, Scientia, & Opinio, quarum altera ſcire facit, altera ignorare*: & ſimiliter Galenus in Libro de Subterfiguratione Empirica hæc protutulit; *Quare increpo illos, qui eos ſcripſerunt libros, & maximè Antica-*
Cap. 17. *tegoricum, in quem, & ad Hereſes vocant*. Unde ipſe ejus ſententiæ ſum, quod in Scientia omni, & præſertim in Medicina, debeat adjungi Prudentia, ut opinio emergat probabilis; & ne intellectus veluti effrenis omnia ad arbitrium vertat, atque revolvat: alioquin omnia aſſerta poſſent defendi, contradicique, & in utramque partem reduci; vera pro falſis, falſa pro veris demonſtrari, pollente præſertim facundia, audacia, ambitu, atq; ingenii calliditate. Quare dixit
De decen. Hippocrates: *Opinio maximè in Medicina facienda in crimen vertitur eam*
Dec.n.4 *adhibentibus*, & ſuperiùs dixerat; *Non ſine ratione faciunt, qui ſapientiam ad multa utilem eſſe prætendunt, eam videlicet, quæ inter homines exiſtit; multæ enim ad ſuperfluam curioſitatem factæ apparent; dico autem*
Num. 1. *eas, quæ de nulla re utili differunt*. Uti fecit Cornelius Agrippa; quia Librum nefarium ſcripſit illum, De contemptu, & vanitate Scientiarum; Dum Zeno negabat motum, & Gorgias Leontinus ſua Arte Oratoria, magna pro parvis, parva pro magnis exarabat, & nigra vertebat in candida; ut ob id Plato in ejus nominis Dialogo Rhetoricam damnare, ſed pulchriori Arte conatus fuerit. Deſideratur igitur in omni Scientia, quæ præſertim ad Praxim directa eſt, ut Medicina; Speculatio, ſed Speculatio prudens, & ſecundùm æquitatem, ut non oporteat vellicare pluſquàm oporteat: ſed ſufficiat jam per
Iacob. Forol. ad 1. Fen Avic. principia percepta Scientiam in fidem habere, & ſolidè, benèque confirmare, eamque in ſuum finem reducere: quod eſt inutilitatem ſuæ Doctrinæ proficiſci, abſque eo, quod intellectus ad ulteriora, & inutilia venando progrediatur. Hinc Galenus in Libro de Optima
Cap. 1. 2. & 3. Secta dicebat; *Quod Theoremata in Scientiis non ſolùm debent eſſe vera, & aſſequtiva, ad principia ſuperpoſita, verùm debent eſſe quoque utilia*: Quare quicquid philoſophatur in Medicina, quicquid ponitur, & non

non eſt utile, ad curioſitatem ponitur, & eſt inane. Hinc agnoſcant Novatores nil referre, quod alacritate ingenii ducti ponant Sales, Sulphures, Succos acidos, alchalicos, & innumeras figuras, & particulas: quia nullam in Arte Medica proferunt utilitatem, quamvis eorum Hypoteſim ſuſtineant, & quibuſdam oblectamentis Paradoxa in Doctrinas, & Doctrinas ſolidiſſimas in nugas non ſolùm vertant, ſed utique amplificent, neſcientes cum Platone in Hippia majori; *Quod quoties igitur aberrant hi, qui leges ferre nituntur, à legitima legeque diſcedunt*, & in iis latet anguis in herba. Quod ſi dicat aliquis, quod ita ſpeculando, meditandoque; Scientiæ, & Artes expurgantur, & perficiuntur, præſertim Medicina: quæ facultas Cenſore ut plurimùm, & non Aruſpice opus habet! Dico, quod perficeretur quidem, ſi ſub eodem genere Principiorum, & Concluſionum perſeveraret, non autem ſub diverſis, ubi toto genere à fundamentis maximè diſtant; ſic enim procedere, eſſet in infinitum excurrere, & jugiter ad arbitrium Artem innovare, quod facere Prævaricatio dicenda foret. Et prorsùs Ars tunc magis exurgeret, ſi per rectam, atque unicam Priſcorum viam, non per aliam Medicus unuſquiſque ſpecularetur: quia ſic ſucceſſivè mentibus illuminatis, perfectionem conſequeremur. Scientię enim, ut Medicina; jam propriis ſancitæ legibus, atque principiis, & ad ſuam Praxim directæ, quantum innovatione doctrinæ corruunt, tantumdem ſuo progreſſu confirmantur. Hinc ad Prudentiam hujuſmodi reſpiciens Hippocrates dixerat: Tempus porrò etiam artem perviam, ac facilem facit, aut in conſimilem viam incidentibus proceſſus manifeſtos parit. *Quapropter ſingula prædicta ſuſcipere oportet, & Sapientiam transferre ad Medicinam, & Medicinam ad Sapientiam; Medicus enim Philoſophus eſt Deo æqualis; neque enim eſt multa inter ipſos differentia.* Sic & Galenus 3. de Placitis Hipp. & Plat. aſſerebat *eos eſſe ingenioſos qui prudentiam intelligentiæ miſcent;* quod idem eſt cum prudentia poſitiones, & Theoremata meditari non innovare. Unde debet Intellectus acquieſcere; & ſi quid præter ea, quæ in Arte à bonis Veteribus conſtituta ſunt, pervolvere contendat, nodum in Sirpo quærit, & pedem ultra crepidam fruſtra ponit.

De Dec. ornatu n. 4

Verùm cum potiſſimus Novatorum, & Aſſeclarum fomes poſſit eſſe nimia Gloriæ cupiditas magis, quàm contemptio veritatis, ob quam Veterum doctrinam negligunt, dicanturq; pulchrier hic eſt, & digito demonſtrabiles: quod in hoc quoque fallantur de facili

Digitized by Google

attingam. Siquidem ibi major conſequitur Gloria, ubi in agendo, proſequendoque major eſt difficultas, & labor; Quandoquidem Virtutem poſuere Dii ſudore parandam: Cum autem maximus labor, & diuturniſſimus expendi debeat in conſequendis Antiquorum doctrinis; parvus verò & brevis, in Siſtematibus, & Placitis Recentiorum: reliquum eſt, quòd Gloria amplior, locupletiorque ex habitu illorum, quàm iſtorum conſequatur. Quod autem arduum ſit Veterum Doctrinam, & Artem acquirere, jam ſcitis: Ars longa, vita brevis; & fatebatur Hippocrates cum Democrito colloquens; ſe quamvis Senem ad finem Artis non perveniſſe. Nam Galeni doctrinam percipere, Avicennæ Canonem pertractare, Hippocratem intelligere, poſſidere, ejuſque præceptis benè uti; hoc opus, hic labor eſt! præſertim Coacas Prænotiones, Libros Epidemiorum, Prænotionum attingere, Aphoriſmorum ſententias in uſum vertere; alius labor, alia ingenii vis requiritur, quàm Siſtemata innovare, & Novatorum Placita percipere: quoniam illa meditari, laborem ſubterfugientis ingenii eſt, & impotentis difficiles Antiquorum ſemitas pervagari; hoc verò alterum, veluti ad Ignem fabulanda familiariter, & hiſtoricè inſinuare, ſicut ſubridebat Galenus de Medico illo Dogmatico, qui Menſibus quatuor pollicebatur abſolutam ſe tradere Medicinam. At dicet aliquis, quòd laudabilior ſit, cum hac facilitate Novatorum veritas, quàm cum tanta jactura temporis forſan Antiquorum fallacia! vel Doctrinarum illuſio! Suppoſitum omninò falſum, & gratis dictum. Veterum enim Sententiæ ſunt omni ex parte Diexodicâ doctrinâ jam diſcuſſe, diuturnitate temporis confirmatæ, exercitatione, & uſu ſtabiles, ut alia comprobatione non indigeant. Novatorum verò Placita, & Scripta Marito Veneris tempore donabuntur: eodem modo, quo Plato in Theagete exploſerat; quod Athenienſium decreto, Sophiſmata, Librique omnes Protagoræ, quamvis eo vivente, anxiè recepti fuerint, poſt obitum ejuſdem ſint publicè concremati: & ex Laertio habemus, Chriſippum maximi in vita nominis condecoratum, in plurimis publicè ſimiliter reprobationem contraxiſſe. Non aliam forsàm ineunte tempore Novatorum Hypotheſes viciſſitudinem contrahent! quæ quamvis noſtro ævo eorum ſolertia, gratia & lenocinio gratæ, & acceptæ videantur, attamen poterunt ſub ſilentio corruere, ut tertium non admittant hæredem. Vel dicam laudem illam, & immortalitatem ipſis deberi, quæ adhuc Eroſtrato tribuitur: nimirùm

In Epiſt.

In Lib. de Sectis.

mirùm ex facinore. Quoniam ſicut ille, ut ſui Nominis æternitatem effunderet, auſus eſt Templum Dianę ex Septem Mirabilibus decantatum in Epheſo comburere, atque vaſtare; ita & iſti maximi Viri, ut eorum fama ſuperſit; ſacrum, & antiquiſſimum Æſculapii Templum deſtruere ſunt conati. Alii prorsùs poſſent eumdem plauſum, eamdem contrahere gloriam, quæ olim à Lucretio ipſimet Epicuro fuit hiſce carminibus atributa.

Primum Grajus homo immortalis tollere contra Lib. 1.
Eſt oculos auſus; primusque obſiſtere contra:
Quem neque fama Deum, nec fulmina, nec minanti
Murmure compreſſit Cœlum, ſed eo magis acrem
Irritat virtutem animi, confringere ut arcta
Naturæ primus portarum clauſtra cupiret.
Ergo vivida vis animi pervicit, & extra
Proceſſit longè flammantia mœnia Mundi,
Atque omne immenſum peragravit mente, animoque.
Unde refert nobis victor, quid poſſit oriri,
Quid nequeat; finita poteſtas denique cuique
Quantum ſit ratione; atque terminus hærens.

Sed jam ſcitis, quid ſit laudare Epicurum, quid cum Lucretio ſentire! Ad ſummum gloria quanta libet: quid enim gloria, ſi gloria tantum eſt? ut profert Satiricus. Legum periti jure merito aura circundantur, quia pro illis maximæ dignitates paratæ ſunt. In Cæteris verò literis, ſtudioſiſque gloriæ cupidis, illud Perſii præ manibus habent:

Hoc eſt, quod palles? cur quis non prandeat hoc eſt? Sat. 5.
His Populus ridet, multumque toroſa Juventus
Ingeminat tremulos naſo criſpante cachinnos.

vel ſi concedatur, quod homines reſpiciant nos, laudabunt quidem, ſed ut Pueri Junonis Avem,

Illud præterea adiiciendum eſt, quod non debeant ullo modo pulchra hæc ingenia à noſtris principiis removeri, ne in Arte introducantur Scandala, ac videatur Ars ipſa ſibi inconſtans, nec communibus ſibi propriis fundamentis inniti, ne præſertim in illud Plinii incidamus: *Mutatur Ars quotidiè, diſcunt periculis noſtris*; & ut ait Hippocrates, propter has diſſenſiones videatur, *quòd ferè nulla Ars ſit*; & ſic tamquàm poſitam in ancipiti, Proceres omnes illam negligant, ac deiiciant, ſicuti olim Romani medentium levitatem, & Artis in- Lib. 36. De rat. victus in Morb. ac. n. 4.

conſtantiam

conſtantiam perſcrutati, Medicos omnes proſcripſere. Quandoquidem ſint ſani, ſint ægrotantes, quomodo poterunt ſe credere homines Medicis iis de Hæreſi dimicantibus, & de tota Arte non ſuſpicari? At ne parum Scandali videtur hoc, quod cum Principes in publicis Lycæis exarandam doctrinam non ad Titulos tantùm, ſed totam ad mentem Hippocratis, Galeni, & Avicennæ committant: audire nonnullos, qui ſpreta lege, & Principis majeſtate, Recentiorum, Novatorumque Placita Stentoreo pectore extollunt, imprimunt, inſinuant, & Antiquorum doctrinas tamquàm olentes, obſoletas, & levis Armaturę docere dedignantur? *cum nil certius ignorantiæ principium ſit*, dicat Plato, *quàm Veterum ſententias improbare, & eas non aſſequi*. Pręterea mens ſanctiſſima Sereniſſimæ Venetæ Reipublicæ eſt, ut Viri ſolida Diſciplina inſtructi efficiantur, ut poſtmodùm fideliſſimorum Subditorum ſaluti proſpiciant, & idcircò in viam Trium illorum Magnorum Virorum, ut Medici tuti habeantur ducere præſcriptum eſt: ad quid igitur ad arbitrium divertere? Antiquorum alimenta reſpuere, & per Bellaria, & Oxigora Novatorum, ubi nullus Doctrinæ ordo, ſed ſempiternus horror inhabitat deflectere, & inquinare? Adde, quod cum Adoleſcentes per Antiquorum Eclipticam intra Olimpiadem debeant completè inſtrui, ut ipſi poſtmodum hoc bono, tutoque Scientiæ habitu imbuti, ad Lauream Doctoratus accedant, ad quid perditio hæc? per alienigenas meſſes eos ducere, ſi ad debitam frugem reduci non poſſunt: ut inde cogantur per privata ſtudiola exulando, uti Cajus Marius in jam eruta Carthagine quærere panem? ac dum labore veluti per puncta in aere facto cute tenùs dolantur, ſolidam interim, & medullarem doctrinam proprio ordine expoſitam effugere. Inſuper hoc alterum accedit inconveniens, quod præ diverſitate Principiorum, Sententiarum, & Hypotheſium poſita Adoleſcentium mente in ancipiti, confuſa hinc inde ſemina, diverſaque, inter ſe Scholarum commiſcentes, quo ſe vertant neſciant, zizaniamque à frumento non ſeligunt, & dum ab hujuſmodi dumetis explicare ſe nequeunt, irretiti nullam ſibi cohærentem doctrinam, neque Methodicam parant. Poſſet dicere aliquis: Nos cum illis conciliando, quod in fine Artis, videlicet in medendo convenimus, & quod diſentimus tantùm in loquendi terminis unum, & idem ſignificantibus: ut poſſit hæc res ſe haberi, veluti linguarum diverſitas in Latinam relata, quæ omnes alias intelligit, & ab omnibus Nationibus intelligitur. At ſi hoc eſt, ad quid

In Theag.

ad quid multiplicare Entia ſine neceſſitate, voces immutare, novos terminos adducere ad idem ſignificandum, niſi in oſtentationem? ut poſtea tamquàm Oracula interpretentur: eo modo, quo in Dialogo de Uno omnium Principio Plato in Perſona Parmenidis, Socrati repetens Zenonis ſententiam dicebat ab initio: *Idem enim quodammodo, quod & tu*, ſcripſit, *verùm permutatione quadam nos decipere tentat, quaſi aliud, quod tu, dicat*. Sicut in propoſito noſtro Sulphurem pro Bile intelligimus, Succum acidum pro humore Melancolico, limpham pro Sero, racemulos pro fibris, & hujuſmodi; ut hac nominum diverſitate, veluti ſi grandia loquantur, quod evitari debuerat, ne introduceretur confuſio.

At multæ æquitatis pignus hoc habet: Quod ſi Gens contra Gentem pro Dominatu, & ſuarum Legum defenſione acriter arma geſſere, ut apud Hiſtoricos latè patet; quid ni, quod etiam in literis idem animi robur fovere non debeamus, prẹſertim in Medicina? Spartani, uti habet Plato in Dialogo de Pulchro, adeò tenaces ſui propoſiti fuere, ut nullas advenas Diſciplinas reciperent, & niſi proprias, atque indigenas publico Decreto ſancivere: ita ut eo tempore, eoque loco Hippias cum Socrate conquereretur, quod alibi, & per alias Urbes, & in Lycæo proprio plurimum fuiſſet lucratus, in Lacedæmone verò nihil, ibique tamquàm ſupervacaneus, & otioſus extiterit, Spartanà nempe renuente Juventà. Nunc autem & nos Itali, qui ingenio, indole, moribus, & educatu nullis extraneis viribus indigemus, nec umquam fuimus indigi, tam de facili externa amplectimur? & ita noſtra deſpicimus, ut Advenarum Dogmatibus vivamus pediſſequi? undenam modò tam mollia ingenia? tanta animi enervatio? unde tam proſtratus Domus noſtræ Zelus? ut ſicuti quondam ſi fuit in armis, non ſit adhuc in literis unus Cocles, ut Novatores omnes retundat? Adeo enim apud Priſcos Philoſophantes viguit certamen hoc; ut Plato, ſicut in ejus Vita Ficinus affert, ad auſcultanda Italica Lycæa, tamquàm à Gymnaſiis Athenienſium ſui temporis admodum Placitis diverſa, fuerit accerſitus: & inde ad guſtandam Ægyptiorum Doctrinam, ad Magos ſe tranſtulerit; unde arguere poteſtis, quanta tenacitas, & conſtantia in quacumque Natione fuerit proprias Hypotheſes, & indigenas Sententias ſuſtinendi. Accedat modò eruditus Anglus, vel Belga, vel alius Advena ad noſtra Gymnaſia! Cranbem ex iis, & Rapſodum repetitam ex illorum propriis viſceribus percipient, ut dicant poſteà: Nos ex

D alieno

alieno ære ædificare, non proprio: ex eorum fontibus noſtras haurire aquas, & quod magis indecorum eſſet, ſi dicerent, quod ſapidæ apud eos admodum emanent, huc autem tranſvectas eaſdem inſipidas evaſiſſe, ut quantum dedecoris ingeniis noſtris afferrent, tantumdem ſibiipſis honoris arriperent: Noſcendo, quod ſine ipſis, factum eſt nihil, quod nil ſapidi ſapere poſſimus, nil ex noſtro penu diſpenſantes, tamquàm ſine jure, & ſine Magiſterio degentes. Sed quod noſtram magis levitatem adauget, eſt, quod eorum Sententiis blandimur, atque ſine rubore eas profiteri gloriamur; ut contemptum illum Cornelii Taciti periclitemur, dum dixit: *Trepidabant olim Gentes de exiſtimatione ſingulorum, & nunc colimus externos, & adulamur, & quomodo ad nutum alicujus grates, ita promptiùs accuſatio deſpicitur*; ut poſſimus dicere eo modo quo ſuis temporibus dicebat Satiricus; *Omnia Græce cum ſit turpe magis noſtris neſcire Latinè*. Feliciſſimæ Juriſprudentum Scholæ! feliciſſimi, qui Legum ænigmata ſolvunt! quia juxta ſuos datos Codices natant, nec ſemitas ab iiſdem pervertunt, unoque lumine totum Orbem illuſtrant. Quod etſi diverſas inter ſeſe Sententias habeant; attamen à robore Legum numquàm deflectunt, ſed hinc inde iiſdem ſuffulciunt. Tantùm Medicis hæc pœna data eſt, ut à ſuo genere dehiſcant, & veluti Gladiatores, novis, & toto genere diverſis Placitis ab invicem dimicentur; neſcientes, quod tantum à Veritate deficiunt, quantum à ſoliditate Doctrinæ diffugiunt, atque elongantur; diſcordia, & opinionibus jam attriti; ut cum Perſio poſſimus nos quoque dicere.

Lib. 5. Hiſtor.

Sat 3.

> . . . . . *ægroti veteris meditantes ſomnia*
> *Ecquid opus Cratero magnos promittere montes?*
> *Diſcite oh miſeri, & cauſas cognoſcite rerum.*

Adeò ut hoc unicum hic ſuperaddam, quod ſi cum Platone in Convivio, in aliquem Traſimacum, vel cum Macrobio in Saturnalibus, in aliquem Vangelum ex iis incidamus, maximà prudentià militemus.

Sed liceat denique Magnos hoſce Viros, qui adeò Recentioribus, & Novatoribus favent, ex Hippocratis teſtimonio edocere, ut in hoc negocio verum lumen accipiant. Ex Hippocrate, inquam, tantæ Authoritatis, ut ait Cornelius Celſus. *Vir arte, & facundia clarus*: ut ait Macrobius, *qui tàm fallere, quàm falli neſcit*; qui ab Athenienſibus nobilitate donatus, ut ait Heurnius, in quo cœtu niſi

germina

germina Deorum adſcribebantur; qui à Theſſaliæ Regibus honore,
& amicitia inſignitus; à Perſarum Regibus efflagitatus: cum Seneca
demum maximus Medicorum excultus. Divinus enim hic Senex
tamquàm in Medicorum Democratia futuras ſeditiones, & Bella
Civilia prævidens, & preſentiens, magnum hoc monitum in Lib.
de Veteri Medicina num. 3. dicendum habuit, ut ad noſtram tran-
quillitatem fundamenta proferret. *Medicina autem jam ab antiquo exi-
ſtit, & principium, & via inventa, per quam inventa, & multa probè
habentia comperta ſunt per multum adeò tempus, & reliqua deinceps inve-
nientur, ſi quis idoneus ſit, & jam inventorum gnarus ex his ad inquiren-
dum procedat. Quicumque verò his rejectis, ac omnibus reprobatis, alia
via, aliaque forma inquirere conatur, & quid inveniſſe gloriatur, falſus
eſt, & fallitur; impoſſibile enim id eſt.* Quaſi dicat Hippocrates: fue-
rit ne Medicina cum Græcis, uti ab Apolline, *H*ygea, Panacea;
vel ab *H*eroibus, ut à Chirone, ab Euriſteo, à Polida inventa, &
introducta; vel cum *H*ebræis à Moiſe, & Prophetis, ut probat ab-
undè Hieronymus Bardi Januenſis; vel ab aliis, ut ſuperiùs diceba-
mus, ſemper ab antiquo exiſtit, & ſicuti cæteræ Artes, & Scientiæ,
habuit *Suum Principium*: eo tamen modo, ut inquit Plato, quo res *Legum 6.*
artificiales omnes rudi Minerva introducuntur, & rudes ſunt, ad
differentiam rerum naturalium, quia in ſuo genere perfectiſſimæ e-
rumpunt: idcircò fuit Empitica: adeò enim extitit Medicina ab An-
tiquo, ut per plurimas generationes aſcendentes probet Heurnius,
quod in familia Aſclepiadum, nempe Hippocratis per mille annos
ante ipſum extiterit. Addit poſteà *Et via inventa*; nimirùm ab ex-
perientia, & obſervatione videlicet rerum externarum, quæ ſanos
juvabant, vel nocebant, preſertim in oibandi regimine, eduliiſq;
præparandis, ut luculenter in hoc eodem Libro ipſe comprobat:
Experientia, & obſervatione ex iis, quæ ægrotos ipſos juvabant,
vel nocebant, ſicuti Polidorus Virgilius affert de Baſtonibus, & de *De invēt.*
Ægyptiis; puta de Remediis illis, quę aliis nocuerunt, vel pro- *Rer. lib 1.*
fuere, atque mandabantur memoriæ. Subjungit, *per quam*, nempe *cap. 20.*
viam, *inventa, & multa probè habentia comperta ſunt per multum adeò
tempus*, nimirùm in confirmationem obſervationum, ad hoc, ut ſen-
ſim, & ſenſim per experientiam aliqua conſuetudo, & agendi peri-
tia haberetur, veluti ex comprobatis. Sequitur dicere, *& reliqua
deinceps invenientur, ſi quis idoneus ſit, & jam inventorum gnarus. ex
his ad inquirendum procedat.* Quænam ſunt *ex his reliqua*? uti ante *H*ip-
pocratem

pocratem Medici Chii, Rhodii, & Coenſes, qui non contenti Experientia ſimplici: quamdam de morbis, de eorum eventu, uti ſunt Coacæ Prænotiones, & de Chiis de Ratione victus in acutis, quos refellit Hippocrates, conſiderationem habere, ut rudi arti aliquod complementum peradderent; cum jam eſſent de Priſcorum ſuorum Medicina peritiſſimi, circa ea, quę peritia, & experientia exercebantur, inceperunt ratiocinari. At verba poſteriora maximi facienda ſunt, dum dixit. *Ex his ad inquirendum procedat;* in quibus modeſtiſſimè Hippocrates duo ſignificat; primum de ſe ipſo, quia cum Noviſſimi ſui ævi Medici inceperint perſcrutari, perperam philoſophabantur: & ipſe Artem, propriis adjectis fundamentis, fecit omninò Rationalem, ut evidentiſſimè ex propriis Libris apparet; cognita natura hominis cum paſſionibus tàm naturalibus, quàm præternaturalibus, ac earum cauſis, cognitàque, præter experientiam, remediorum, & eduliorum facultate ad facultatem, & naturam hominis præcollata, ut tamquàm nodo facto, Theorica & Practica, in Unum Ars coalueris juxta ſuum finem, videlicet vel Sanitatem conſervandi, præſervandique, vel curandi ægritudines, & hoc eſt ab Hippocrate integrè inventum. Prout verò pertinet ad alios, nullum excludit; nam Diocles Cariſtius adauxit Anathomen, Herophilus pulſuuam doctrinam, Galenus ſuam Medendi Methodum, & cuncta Diexodicè illuſtravit, ſecundùm jam datam viam Rationalem: Arabes Anthidotaria, atque Officinalia Remedia paraverunt præter ea Simplicia, quæ in uſu habebantur; Sed omnes prædictam ſemitam Hippocratis ſunt ſequuti: & in his magnis Viris complectitur ſimiliter ſenſus ille, quod facere non erat commune vulgarium hominum; ſed eorum tantùm, qui inventorum in hac caſtigatione fuiſſent valdè ſcientes, & ad ratiocinandum inſtructi; hoc eſt à cauſis ad effectum progrederentur, & ab effectibus ad ſuas cauſas: vim remediorum, & eduliorum inquirerent non ſolùm ad hominum naturas, comparatam, ſed rectam quoq; adminiſtrationem adhiberent. Adeò ut à primo ad ultimum, ſicut Iſter ſemper eſt Iſter, tàm à fontibus exurgens, quàm intrans in mare, & tot flumina in ejus Alveum demerſa nomen Iſtri recipiunt, propriumque deperdunt; ſic totus Medicinæ habitus, ut Methodicus modò, & Rationalis eſſet; & has partes, quæ ad conſtituendum hoc corpus ingrediuntur, ſui totius naturam induerent, methodo, atque ratiocinio perſcrutantes: quamvis ab antiquo fuerint Empiricę; deſierunt eſſe Empiricæ, & eadem

dem via, eadem lege in Methodum redactæ ſunt: ubi tamquam in termino perfectivo, tàm quo ad habitum, tàm quo ad uſum remanent conſtitutæ. Qua de re ſi quis ab hoc inquirendi ordine recedat, deflectatq; ſubjungit, *quicumque verò his rejectis, atque omnibus reprobatis, alia via, aliaque forma inquirere conatur, falſus eſt, & fallitur; impoſſibile enim id eſt.* Unde patet ex dictis, quia Recentiores, & Novatores omnes; cum alienigenis, atque diverſis fundamentis nitantur, & ſilveſtribus indaginibus omnia pervertant: quod fallantur; & falſi ſint, & ſe habet hic modus procedendi apud illos, velut Tico, & Copernicus, qui ut ſalvarent parva quædam Phenomena à Ptolomæi Siſtemate aberrarunt; quoniam in hanc prævaricationem, & falſitatem incidere, ut unus preberet motum circularem, & perpetuum ipſi Terræ, qui convenit Primo Mobili; alter verò poſuit Solem ipſum pro Mundi centro. Quare Avicennas cum agnoviſſet, quod tam ſcribendo, quàm agendo Medicinam, fuiſſe quoque tunc temporis Medicos etiam diverſarum Sectarum, qui acerrimè contra hanc veritatem propugnaverint: profitetur in ſuo Canone, qui totus eſt juxta noſtra Principia; ſe non habere ſermonem de Medicis *protervis, & deviantibus*. Ipſe autem magnos hoſce Viros hac contumelia non afficiam, ſed maximè venerabor.

Ad ſummum mihi fas ſit dicere hujuſmodi irrequietis animis, quid umquam ſibi velint? quid cupiant? Poteſtne amplior, atque doctrina certior, tutiorque hauriri, quàm ab Hippocratis fontibus, à Galeni fluminibus, & ab Avicennæ congeſtis Aquis? Partes enim omnes inter ſe cohærent in his, adeò ſunt connexæ, ita per Methodum diſpoſitæ, ac patefactæ, ut in unum Corpus conſpirent, unumque finem; ut ad invicem per affinitatem, & correlationem alterutrius ſibiipſis auxilientur, & viam faciant. Quam veritatem non ex me tantùm poteſtis excipere, ſed ex Scribonio Largo, qui Deſcriptione 200. dicebat: *Partes has Medicinæ adeò inter ſeſe implicatas, atq; connexas eſſe, ut ſine totius Profeſſionis detrimentò nullo modo diduci poſſint*: Quod ſimiliter poſtea & Galenus Cap. 2. Lib. 3. de Comp. Med. ſecundum genera, ſummis verbis authoravit: unde colligatis, quo ordine, qua Methodo Medicina tota Antiquorum firmo pede gradiatur. Nam ſi dixerat Hippocrates: *Scire oportet quid eſt Homo, & ob quas cauſas naſcitur, & reliqua diligenter. Inſuper & quid ſit Homo ad ea quæ bibuntur, & comeduntur comparatus; & quid cuique ab unoquoq; contingat.* Adhuc alibi: *Scire oportet, à quibus cauſis ægrotet, unde ipſe* In Lib. de Vet. Med. n. 36.

E *moriatur*,

moriatur, & ſanus fiat; calleant magni iſti Viri abſque eo quod per extranea peregrinentur: quod à Veterum Phiſiologià noſcunt hominem jam intus, & cutetenus! Per Hyginicam metiendo res Nonnaturales, ſcientiam promunt ſanitatem ſervandi. Per Ethiologiam, ſeu Pathologiam, diſquiſitionem omnem cauſarum, & effectuum præter naturam conſequuntur. Per Semioticam de Signis tàm diagnoſticis, quàm Prognoſticis doctrinam prænotant. Per Therapeuticam demum Curationem, & per omnia inſtrumenta Medica pervagantur, conſtituta per Quid agendum, & Uſum, nimirum per propriam medendi methodum; de qua parte Divinus Galenus ad Glauconem, & in Libris de methodo medendi luculentiſſimè præcepta tradit. Quæ munia methodo, & ordine doctrinæ Neoterici conſequi nequeunt, quia cum in eorum Siſtematibus claudicent, neque de corporibus Salubribus, Inſalubribus, & Neutris, neque de Cauſis integrum examen ipſi attingunt. Et in Semiotica, neque Naturæ motus, neque Dies Criticos ſui Hypotheſibus præſentiunt, neque in quas paſſiones corpora per eorum temperamenta ducantur, inducunt. Verum Priſcorum, & Veterum doctrina adeò ſibi conſtans eſt, & ordinata, ut Eudemus, & plurimi Romanorum dixiſſent: *Quod Deus per Galenum voluit providere Ægrotantibus: quandoquidem quos curat eos eripit perfectè in die quam prædicit*. Sed ſicuti Vatem egregium, cui non ſit publica Vena, qualem nequeo monſtrare, & ſentio tantum; *ita & Medici fama quidem, & nomine multi, re autem, & opere valdè pauci*, dicebat Hipp.: ut noſtrates, & me ipſum in hoc non excludam. Adde, quod ſi Plato in Hippia majori Antiquos Inſtitutores maximè venerabatur, & præcepit primo loco teneri; multo magis Novatores, & Recentiores Medici omnes venerari, & ſequi tenentur, quia pro nobis inſudarunt, & veluti Numine quodam afflati in Bonum generis humani (ne Dei Providentia viventibus deficere videretur) irradiabantur, non livore, non fuco, non invidià, non ambitu, non animà civilibus paſſionibus detorta, uti pluribus in locis increpabat Galenus in ſui ævi medicos: ſed omninò prò ſalutis indagine, & doctrinæ veritate ingenium exercuere. Quommodo enim fieri poteſt, quod per mille & quingentos annos, tot Cæſares, tot Reges, tot Principes, tot Lucidiſſima ingenia, quæ jugiter de uno ad alterum ſæculum refulſerunt, tantà erroris nebula correpta fuerint, ut hucuſque aberraverint, & in adeò profundà Bolide Veterum doctrinarum cecutierint; ut tantum noſtro ævo ceciderint è

Lib. de Prognoſt. Cap. 3.

De Lege n. 1.

Primo meth. & alibi.

Cœlo Catones? Sed de his poſſumus dicere cum Hippocrate: *Sunt quidam, qui id eſſe Artem putant, reliquas Artes turpiter inceſſendo dehoneſtare, atque id veluti putant non tranſigunt, ut ego ſanè aſſero, ſed propriam cognitionem, & ſcientiam ambitiosè oſtentant.* *In Lib. de Arte n. 2.*

Scimus, quod qui ingenio velit cedere, rarior erit! Subſcribimus quod Amicus Plato, Amicus Socrates, ſed magis Amica Veritas! Adhuc quod nullius dicti ſit jurare in verba Magiſtri! Agnoſcendum tamen num ingenium in errore caliget, num magis à curioſitate, quam à veritate trahatur, num à pellice voluntate doletur. Prorſus magis Amica Veritas: At quia forſan adagium hoc à Philoſopho equè Politico prolatum cenſeo, Principatum quærenti; facilis ſub lodice ſimultas, & ſub tali cortice emulatio: At ubi per tot, tantaque ſæcula magnorum Virorum Placita, & Monumenta non ſolum non deciderunt, ſed ſummoperè approbata extitere; non nullius dicti, ſed debitæ, atque venerabundæ auctoritatis eſt eorum verba detinere, producere, & eructare: non in unius, ſed in unicæ eorum ſcientiæ argumentum. Quod ſi dicebat Democritus nos ab Animalibus magnos fuiſſe diſcipulos; erubeſcemus ne? pudebit forſan nos? à maximis in Arte Viris, qui doctrinà, famà, plauſu, ac Vetuſtate ceteros omnes antecelluerunt, edoceri, inſtrui, atque diſciplinari? *Plutar. de Solertia Animal.* Tantum abeſt hoc, quod ſi Juriſperiti erubeſcunt ſine Lege loqui: & nos ſine horum graviſſimorum virorum Autoritate loquentes erubeſcere debeamus! & abſque eo quod veluti Caprificus, & fermentum vetus acerrima ingenia innovitates erumpant, vel amplectantur; majoris prorſus Apolle eſt certas Antiquorum doctrinas fateri: cum *Hippocrates* nos moneat, *quod ejuſdem intelligentiæ ſit, ea quæ rectè dicta ſunt poſſe dijudicare*, quod idem eſt, ac in eamdem convenire doctrinam, & acquieſcere. *1. de Diætâ num. 1.*

At ſi ad trutinam Recentiores, atq; illuſtriores Anatomicos conferamus; Primùm Magnos hoſce Viros monitos volo, quod unquam ſupponant Antiquos Medicos in re Anatomica cecutiſſe, immo credant equè, & forſan magis quam ipſi expertos, & oculatos ad veritatem inſudaſſe. Nam Herophilus pluſquam ſexcenta humana corpora diſſecuit, & ut refert Tertullianus, adhuc viventium multa: Galenus plura Commentaria de hac Provincia conſcripſit, ut etiam exercitatione adeò mirabilis evaſerit, ut Medicos omnes ſui temporis Romæ exiſtentes, ac contradicentes ipsà Authopſia convicerit, atque confuſerit. Scimus Avicennam eſſe accuratiſſimum, tam

cum

cum de exteriore Anathome, & communi in primâ Fen primi Libri verba facit: quam in tertio, ubi ſecundum affectus præcipuos privatim de Viſceribus ſermonem habet. Adeò enim diligenter ſe geſſerunt hi magni Viri, ut abſque eo quod per novitates ingenii luxu Novatores ſe ducerent; perfectionem omnem in docendo conſequerentur, ſi tantum in Antiquorum Anathome cnnſiſterent, præſertim ſi in hac inſpectanda, pulcherrimam Doctrinam illam *H*ippocratis de Carnibus conſociarent, & Diexodicam alteram de Uſu Partium Galeni, atque totam hanc diſciplinam divina alia methodo Anatomica Hieronymi Capivaccei, eoque docendi ordine expedirent: quandoquidem Dioclem ipſum, & Democritum evincerent, & ſuperarent. Neq; ea quæ noviſſimè ab Anatomicis reperta videntur ſuadendum eſt apud Veteres latuiſſe: ſed quia apud eos nullius uſus, nullius momenti, nec alicujus præſtantiæ viſa, ac ſpeculata fuere; ideò eaque in medium afferre, ac de iis conſiderationem habere fuerunt aſpernati: ſcientes quod id quod poteſt fieri per pauciora, & ęq; benè, non ſit faciendum per plura. Præterea à Piſcibus, à Volatilibus, à Quadrupedibus ad hominem multa referunt: quæ cum omnia ſint alterius Diòceſis, totam paritatem excludunt; ac cum Theleſcopiis, ſubligaculis, conentur facere evidentia, quæ ſunt inſenſibilia viſui naturaliter ſe habenti, & tactui, illuſiones potius rerum, reſonant quam veritatem. Vera enim illa eſt obſervatio, & inſpectio, quæ objecto, & potentia non violenter, ſed naturaliter ſe habentibus celebratur: non fucis, ac lentibus, nec ſpecillis ſpeculatoriis, ubi Vermes, & animalcula, & ſpecies rerum quę non ſunt videntur repreſentare. Prętereà ſi dixit Ariſtoteles, *Non eſſe faciendum judicium de Cadavere*; ut affert Euſtachius Rudius; ut non dicam omnia, plurima ſaltem quæ in ſuis inſpectionibus profitentur de novo reperiiſſe maximi hiſti Viri, erunt deluſoria & inania; ut non prebeant fundamenta pervetendi Antiquorum Siſthema: pręter quam quod ex eorum ſuppoſitis non poſſunt conſequi modum agendi calidi innati, nec explorare maneriem operandi naturalium facultatum; quæ functiones adamuſſim in quocumque parte, in quacumque organo ab Antiquis Medicis, fuerunt detecte, ac prius ſancite: adeo ut ſi aliquid aliter ſibi producere proponant, aberrent; quia Veteres omnia recte predocuerunt: præſertim Hippocr. qui ſenſu judice, plurima demonſtrare profitebatur: qua de re deprecor hæc magna Anathomicorum ingenia contumelia non affici; ſi hic, locum illum Proſ-

Lib. 5. de morb. oculis cap. 15.

peri

peri Martiani in Lib. de natura, humana pro Coronide afferam dicentis, *Valeant igitur Anathomici Recentiores qui artem ſecandi corpora, novis inventis ditaſſe profitentur, quando nec ea quæ Hipp. tradidit aſſequi potuerunt; quod quidem non in venis modo præfatis verificatur: ſed etiam in nervis, & multis aliis particulis, quarum cognitio neceſſaria eſt: quæ vero iſti inveniſſe profitentur, ad certam curioſitatem tantumodo inventa ſunt*. In Adnot. ad n. 20. Quod ſi hæc loquutus eſt, fere ab hinc centum elapſis annis; quidnam noſtris temporibus magnus hic Authhor eſſet dicturus, ubi tota evertitur Medicina? unde & ipſe credam, quod omnia quæ ab hujuſmodi maximis Viris de novo Inventa, repertaque producuntur; ſint potius ad hornatum, & ingeniorum ſupellectilem; quam ad Uſum, & Artis utilitatem. Quod ſicuti in noſtris Prelectionibus Prime Avic. Fen partim fecimus; ſimiliter & in aliis Auſcultationibus data occaſione erimus ex integro demonſtraturi.

Verum quia nonnulli Celeberrimi Neotericorum non admittunt pro principiis communibus elementa: ſed omnia ex ſale, oleo, & ſulphure componunt juxtà illud Ariſtotelis, unumquodque reſolvi in ea, ex quibus conſtat; cum arte unumquodque corpus, quodcumque mixtum in hæc tria immutent, idcircò non in elementa; hinc inducunt ex elementis non conſtare: ſatis erit, ut ab hujuſmodi errore magnos hoſce viros vindicemus, quod verba ipſa Hippocr. perlegamus; *Et rurſus neceſſe eſt ſecedere ſingula in ſuam ipſorum naturam homine moriente; humidum nimirum ad humidum, ſiccum ad ſiccum, calidum ad calidum, frigidum ad frigidum. Talis autem & animalium eſt natura, & aliorum omnium; generanturque ſimiliter omnia, & occidunt ſimiliter omnia, conſtat enim natura ipſorum ex his prædictis omnibus, & deſinit juxtà prædicta, in id unumquodque unde eſt compactum ſecedens*. De naturâ hominis n. 15. Quare non in alia principia, ſed in elementa corpora omnia reſolvuntur: quam doctrinam pleniſſimè confirmavit Galenus in Libro de Elementis ad mentem Hippocratis integrè ſpeculatus. At ſi dicant, quod *oculis magis credere oportet, quam opinionibus*; Hipp. 1. de Dieta n. 5. annuere liceat hæc magna ingenia, quod aberrant in reſolutionis modo, atque in paritate: quandoquidem ea quæ per Spargiricam reſolutio fit, eſt omninò artefacta, & vi, non naturaliter ſe habens; illa verò Hippoc. ab ipſa naturà molita: ſiquidem ea Neotericorum, & Spargiricorum debet vocari extractio, hæc autem *H*ippocratis vera in ſua principia reſolutio, quæ ver itas oculis ipſis ſubiicitur; quia ſi deſerant ſalem, & ſulphurem, vel oleum jam extractum deficere; in elementa

penitus

penitus tractu temporis, tamquam in principia communia tranſmutabuntur; quod de iis ſimiliter, qui ex particulis mixta faciunt, & corpora, ſentiendum eſt: adeò ut ſicuti Ariſtoteles argumenta Zenonis negantis motum ſolo inceſſu, & ambulatione conterebat; ita & nos ſenſu duce hæc Placita conteramus.

At nonnullos medicorum Proceres jam audio dicentes; Nos maximè debere Novatoribus omnibus, & nova ſectantibus, ac vetera negligentibus, quia nos ab Antiquorum ſervitute vindicarunt, ac robuſtioribus ingeniis ad arbitrium ſpeculandi libertatem dedere, ut non amplius in eorum compedibus arceantur, neque in eorum ſiccitatibus contabeſcant; præſertim cum:

Juvenal. Sat. 8. *Turpe ſit aliorum incumbere famæ*
Ne collapſa ruant ſubductis tecta columnis.

Præterea quinam fuere iſti Magni Viri? niſi homines ſicuti & nos: quod ſi haduc eſſent, & viverent, diſceptaremus cum illis, & promiſcua Minerva dimicantes, alterutrim, veluti dicit *H*ippocr. in Lib. de Nat. hominis, modo unus modo alius, vinceret in eodem ſermone. Adde quod adeo à nobis diſtarunt Legibus, Regione, atque moribus, ut plurimi in Bithinnia Ortum habuerint, uti Galenus, e Pergamo, Areteus è Cappadocia, Oribaſius è Sardis; Avicennas cum cæteris Arabibus Medicis in Arabia nati ſint: quid amplius Coſtantinus Afer in Affrica, Celius Aurelianus Siccenſis in Numidia, quandoquidem Sicca Civitas, tàm à Plinio, quàm à Ptholomeo in ea Regione reponitur: quę dicitur ab Horatio *Barbara tellus,*
1.Carm. *cui maura ſemper, æſtuat unda?* ut lepide poſſet hic aliquis illud Juvenalis effatum adiicere.

Sat. 3. *Ad ſummam, non Maurus erat, nec Sarmata, nec Thrax,*
Qui miſit pennas, ſed mediis natus Athenis.

Ah ſi fas eſt dicere, ſed fas ſi dicam; quod ullus homo in ſuis muneribus obeundis eſt adeò liber, quin aliquibus legibus detineatur, &
Heb. Ebur. Lib. 1. tantum Ethnicis, & Paganis datum eſt ad arbitrium degere, atque philoſophari. Apud autem cultas Nationes, & Gentes in omni facultatum genere (ſi non dicamus legem) extat tamen ſua propria directio, limes, & uſus. Sunt enim omnia hujuſmodi in Agricultura, in Nautica, in Bellica, & quid non in vita civili! aſunt in inſtrumentalibus habitibus, necnon in ſcientiis; ut nefas ſit earum præcepta tranſgredi. Quare & in Medicina eſt ſua Lex, fuit
1. de morbis n. 3. ſemita, ſua propria, & decreta directio: ut cum Hippocrate teneamur

mur conſiderare, *& quæ recta non ſiunt, & dicuntur in Arte*, immò *& quæ exactè, & non exactè*, ut propterea non ſit in nobis ea libertas, qua maximi iſti Viri abutuntur, ut dicere ſaltem liceat.

Libertate opus eſt, non hac, qua quiſque Velina — Perſius Sat. 3.
Publius emeruit, ſcabroſum, teſſerula far
Poſſidet: Heu ſteriles veri, quibus una Quiritum
Vertigo facit: Hic Dama eſt, non treſſis agaſo
Vappa, & lippus, & in tenui farragine mendax.

quia ſi Dama fuit factus liber, non ob id libertatem conſecutus erat contrà leges, nec contrà bonos vivendi mores. Sic & nos quamvis in percuntando, inquirendoque in ſcientiis, & artibus quodamodo liberi ſimus; non tamen debemus Hereſes elevare; ſed indui libertate quadam ad opinionem probabilem, & ad ſentiendum ea, quæ magis à ratione, & ab Auctoritate hinc inde juxtà rectam ſemitam præferuntur. Quod autem dicant quod novis hiſce indaginibus veritas jam reperta latius pateat; gratis eructatur: quia Veterum Doctrina ſolida adeò, & abundans experitur, ut non indigeamus ſpeculatore. Et abſque eo, quod nova hæc venentur, utinam unicè Antiquorum doctrinis ſtuderent, quia multò magis in uſu proficerent, Artem ditarent, effugerentque dictatum illud Perſii;

Ocûras hominum, ò quantum eſt in rebus inane. — Sat. 1.

nec veluti Eſopi Canis carnem negligentes, umbram ſectatum irent: Quod ſi ad ea reſpicimus quæ dicebantur de Nationum Gentiumque præſtantia, de prælatione originum, Primorumque medicorum ignobilitate: imbelles cogitationes ſunt: & ſatis ſit illa dicentibus, ac abnuentibus Epicharmi hanc præbere ſententiam, nimirum *Quiſquis natura proclivis ad bona fuerit, Nobilis eſt, quamvis matre genitus Ethiope*: qua de re Franciſcus Piccolhomineus, aſſerebat & dari deberi Nobilitatem inſpectricem, quæ ex ſcientiis prodit Inſpectricibus: unde non viles Veteres illi Medici, ſed pro nobiliſſimis habendi ſunt; & eo magis quia ullus fere fuerit, qui apud Reges, & Principes non extiterit condecoratus: Cæterum eorum Doctrinæ, non ſunt in nobis, tamquam advenæ, non adiſcititiæ; ſed familiares, & connatæ: ut poſſimus eas concipere, tamquam tranſmutatum alimentum in ſubſtantiam aliti, ne amplius ab Aſia, vel ab Affrica, Græciaque accedentes: ſed Italicas, & indigenas multo jam tempore effectas; ac undique connutritas, atque adauctas; & eo modo quo Arcades, & Frigii in Latium accerſiti, Latini effecti ſunt, & ipſi — In morali Philoſoph. Gradu 8. cap. 15.

penitus tractu temporis, tamquam in principia communia tranſmutabuntur; quod de iis ſimiliter, qui ex particulis mixta faciunt, & corpora, ſentiendum eſt: adeò ut ſicuti Ariſtoteles argumenta Zenonis negantis motum ſolo inceſſu, & ambulatione conterebat; ita & nos ſenſu duce hæc Placita conteramus.

At nonnullos medicorum Proceres jam audio dicentes; Nos maximè debere Novatoribus omnibus, & nova ſectantibus, ac vetera negligentibus, quia nos ab Antiquorum ſervitute vindicarunt, ac robuſtioribus ingeniis ad arbitrium ſpeculandi libertatem dedere, ut non amplius in eorum compedibus arceantur, neque in eorum ſiccitatibus contabeſcant; præſertim cum:

Juvenal. Sat. 8.

Turpe ſit aliorum incumbere famæ
Ne collapſa ruant ſubductis tecta columnis.

Præterea quinam fuere iſti Magni Viri? niſi homines ſicuti & nos: quod ſi haduc eſſent, & viverent, diſceptaremus cum illis, & promiſcua Minerva dimicantes, alterutrim, veluti dicit *Hippocr.* in Lib. de Nat. hominis, modo unus modo alius, vinceret in eodem ſermone. Adde quod adeo à nobis diſtarunt Legibus, Regione, atque moribus, ut plurimi in Bithinnia Ortum habuerint, uti Galenus, è Pergamo, Areteus è Cappadocia, Oribaſius è Sardis; Avicennas cum cæteris Arabibus Medicis in Arabia nati ſint: quid amplius Coſtantinus Afer in Affrica, Celius Aurelianus Siccenſis in Numidia, quandoquidem Sicca Civitas, tàm à Plinio, quàm à Ptholomeo in ea Regione reponitur: quę dicitur ab Horatio (1. Carm.) *Barbara tellus, cui maura ſemper, eſtuat unda?* ut lepide poſſet hic aliquis illud Juvenalis effatum adiicere.

Sat. 3.

Ad ſummam, non Maurus erat, nec Sarmata, nec Trax,
Qui miſit pennas, ſed mediis natus Athenis.

Ah ſi fas eſt dicere, (ſed fas ſi dicam) quod ullus homo in ſuis muneribus obeundis eſt adeò liber, quin aliquibus legibus detineatur, & tantum Ethnicis, & Paganis datum eſt ad arbitrium degere; atque philoſophari. (Hen. Ebur. Lib. 1.) Apud autem cultas Nationes, & Gentes in omni facultatum genere (ſi non dicamus legem) extat tamen ſua propria directio, limes, & uſus. Sunt enim omnia hujuſmodi in Agricultura, in Nautica, in Bellica, & quid non in vita civili! ajunt in inſtrumentalibus habitibus, nec non in ſcientiis; ut nefas ſit earum præcepta transgredi. Quare & in Medicina eſt ſua Lex, ſua ſemita, ſua propria, & decreta directio: (1. de morbis n. 3.) ut cum Hippocrate tenea-

mur

mur conſiderare, *& quæ recta non ſiunt, & dicuntur in Arte*, immò *& quæ exactè, & non exactè*, ut propterea non ſit in nobis ea libertas, qua maximi iſti Viri abutuntur, ut dicere ſaltem liceat.

Libertate opus eſt, non hac, qua quiſque Velina — Perſius Sat. 3.
Publius emeruit, ſcabroſum, teſſerula far
Poſſidet: Heu ſteriles veri, quibus una Quiritum
Vertigo facit: Hic Dama eſt, non treſſis agaſo
Vappa, & lippus, & in tenui farragine mendax.

quia ſi Dama fuit factus liber, non ob id libertatem conſecutus erat contrà leges, nec contrà bonos vivendi mores. Sic & nos quamvis in percuntando, inquirendoque in ſcientiis, & artibus quodamodo liberi ſimus; non tamen debemus Hereſes elevare; ſed indui libertate quadam ad opinionem probabilem, & ad ſentiendum ea, quæ magis à ratione, & ab Auctoritate hinc inde juxtà rectam ſemitam præferuntur. Quod autem dicant quod novis hiſce indaginibus veritas jam reperta latius pateat; gratis eructatur: quia Veterum Doctrina ſolida adeò, & abundans experitur, ut non indigeamus ſpeculatore. Et abſque eo, quod nova hæc venentur, utinam unicè Antiquorum doctrinis ſtuderent, quia multò magis in uſu proficerent, Artem ditarent, effugerentque dictatum illud Perſii;

Ocuras hominum, ò quantum eſt in rebus inane. — Sat. 1.

nec veluti Eſopi Canis carnem negligentes, umbram ſectatum irent: Quod ſi ad ea reſpicimus quæ dicebantur de Nationum Gentiumque præſtantia, de prelatione origiuum, Primorumque medicorum ignobilitate, imbelles cogitationes ſunt: & ſatis ſit illa dicentibus, ac abnuentibus Epicharmi hanc præbere ſententiam, nimirum *Quiſquis natura probè ad bona fuerit, Nobilis eſt, quamvis matre genitus Ethiope*: qua de re Franciſcus Piccollomineus, aſſerebat & dari deberi Nobilitatem inſpectricem, quæ ex ſcientiis prodit Inſpectricibus; unde non viles Veteres illi Medici, ſed pro nobiliſſimis habendi ſunt; & eo magis quia ullus fere fuerit, qui apud Reges, & Principes non extiterit condecoratus. Cæterum eorum Doctrinæ, non ſunt in nobis, tamquam advenæ, non adiſcititiæ; ſed familiares, & connatæ: ut poſſimus eas concipere, tamquam tranſmutatum alimentum in ſubſtantiam aliti, ne amplius ab Aſia, vel ab Affrica, Græciaque accedentes: ſed Italicas, & indigenas multo jam tempore effectas, ac undique connutritas, atque adauctas; & eo modo quo Arcades, & Frigii in Latium accerſiti, Latini effecti ſunt, & ipſi — In morali Philoſoph. Gradu 8. cap. 15.

Longobardi

Longobardi diu inter nos morantes Itali evaſere: atque eo modo quo Cretice Vineæ in Italiam culte & tranſvete, non amplius Creticum, ſed loci genio indute evaſerũt indigene, Vinum Italicum preferunt, atq; producunt: ita & Medicina illorum Antiquorum ad nos tranſlata, diuq; recepta, & exculta, facta noſtra proprietas eſt, ut eam tueri teneamur. Quo ad diſputanda; prorſus Novatorum audacia, *An*tiquorum modeſtiam, & comitatem evinceret.

Quod ſi adhuc Recentiores, & Novatores declament: Nonne Ars novitate ſententiarum, Siſthematum, atque Dogmatum uberior, amplior, & elegantior evadit? quid enim nobilius in celeberrimis Univerſitatibus, ut in Patavina, quę per totum orbem effunditur, duplices ſententiarum diverſarum ſcolas porrigere, & tam Antiquorum quam Recentiorum habere paratas? ut ſic tamquam in Convivio ingenia omnia ſatisfiant: unde Principis munificentia, & magnanimitas magis, atque magis refulgeat? nam inter Architecturæ ordines, mixtus ſeu compoſitus, ſimplici Ruſtico, ſive Etruſco elegantior omninò eſt: ac ſi una eademque Arbos pluribus fructuum Varietate ſurculis inſeratur; ſpecioſior, atque utilior redolebit, quàm Titiri Fagus, vel docentis Socratis, vel Xerſis inſipientis Platanus, nil aliud, quàm umbram in proceritate ferentes. Demum in Recentiorum doctrinà miſcetur utile dulci, in eà verò Veterum tantum cum aſperitate fiducia! Hæc autem cum non adſtringant, ſed veluti in Simpoſium adducta, liceat tamen diluere; ne aliquid in animis imprimant, & credulitatem in diſpoſitis elevent. Nam Sectarum diverſarum, immò oppoſitarum Auſcultationes exhilarant, emulcent aures, non docent: *Lectio enim varia delectat, certa prodeſt, & faſti-*
In Epiſt. ad Lucill. *dientis ſtomachi eſt plura deguſtare*; dicit Seneca. Cum enim Veritas ſit una non debet poni in ancipiti per diverſitatem principiorum: Alioquin reſultabit undique Doctrina Sceptica, non Dogmatica, qua verè indigemus, & quam pro bono publico hujus Sereniſſimi Principis Majeſtas docendam in Medicina paravit, inſtituitq;: Magnificentia enim hujus Sereniſſimæ Reipublicæ Venetę tot Exedras tàm in humanis, quàm in naturalibus facultatibus, quàm in divinis perhibuit, atque adauxit: ut non Lycæo, ſed veluti confecto Litterarum Amphiteatro, non indigeat in Medicinà Doctorum contrarietate ad inquinandos, ſed unitate ad confirmandos Addiſcentes: eo magis quo non pulchritudinem, non decorem, ſed ob doctrinarum Placita, & contentiones deformitas induceretur, eo modo quo inæqualitas ut

dicit

dicit Ariſtoteles ſenſum corrumpit. Prout verò allatæ paritates, & ſimilitudines annuebant; benè quidem: quandoquidem ſi Etruſcus ordo, ſeu Ruſticus, ceteris Architecturæ ordinibus ornatu, & pulchritudine poſtponitur; gravitate tamen & robbore ceteros antecellit; & veluti quadratis lapidibus extructus tutiſſimus eſt, ut ita poſſimus dicere Veterum Medicinam. Et quoad Inſita: non poſſunt dici Inſita ea, quæ à Novatoribus in Arte introducuntur, ſed veluti Caules, & Braſſicæ ad Vitem derogandam, atque ſupprimendam appoſitæ: Præterea Inſita ab uno eodemque humore, & ſurcula ab uno eodemque pedis meditullio aluntur: ſed è converſo Neotericorum Principia à meditullio Antiquorum maximè diſtant, & ab eorum doctrina omninò aliena: quæ doctrina, quæ ſcientia non eſt umbratilis, ſicut Fagus, vel Platanus; ſed Lux apertiſſima, tamquam Cleopatræ Pharus, & ut aptiùs dicam ſicuti Quercus Dodoneæ, quæ præbebant Oracula; vel fatidicæ Macedoni Solis Arbores. Denique in Hippocratem, & Galenum ſectantibus nulla eſt aſperitas, nulla amarulentia, ſed comitas, quandoquidem, ut Divinus ille Senex ait: Qui bonus Medicus eſt fide magis, quam duritia medetur. Ut ſummatim dicam, quod ſicuti Ariſtippus profectus in Siciliam profitebatur duplum menſtruæ ſolutionis à provectis aliunde Addiſcentibus convenire: unum, ut ea, quæ jam ab aliis Docentibus diſcerant, dediſcerent; alterum, ut ejus veram, & ſolidam doctrinam conſequerentur: ita forſan & ii, qui ab hujuſmodi Recentioribus imbuti ſunt, repurgari deberent. Nihilominus cum Juvenali nobis dicendum eſt: hæc de nobis ſententia fertur. *Dat veniam Corvis, vexat cenſura Columbas!* quoniam etſi tutò, citò, & jucundè in ſententia Veterum, quantum humanis permittitur viribus, & doceamus, & medeamur; deſpicimur, nec miremur! quia jam Democritus querelam hanc ipſimet Hippocrati interloquendum patefecit dicendo: *Et valdè timeo neque medicinam tuam ipſis placere. Nam per intemperantiam omnia illis diſplicent, & inſaniam Sapientiam putant. Profecto ſuſpicor pleraque in ſcientia tua palam contumelià affici, aut propter invidiam, aut propter ingratitudinem.* *In Epiſtol. num. 20.*

Verum enim verò, ſi quondam mellis favus ex ore Leonis excuſſus eſt, ſi à Viperis quotidie Antidotus celebratur, ſi quoque ab inimicis emolumenta hauriri poſſunt, ut docet Plutarchus: ne lividi, ne injuſti videamur; ſcrutemur quid boni toroſa hæc ingenia nobis afferre queant: quam approbationem, quam laudem mereantur. Cum autem eorum doctrinis noſtrorum nemo aſſentiri poſſit: lau- *In opuſc.*

damus eos præcipuè, quia tàm in ſcribendo, quàm in agendo cultiores, & eruditiores nobis ſe perhibent. Quod ſi dicebat interdum Seneca ex Horto Hecatonis Philoſophi florem unum ſe collegiſſe: ita & nos non debemus erubeſcere, ex ſylva ſuorum Remediorum aliquod ſingulare Pharmacum in Uſum habere; cùm præſertim dicat Hofmannus: in Chronicis, & contumaciſſimis affectibus, medicamenta Chimica Galenicis prævalere: & ipſemet Scribonius Largus, in ſui libelli Pharmaceutici Præfatione aſſerit; ſe inter contentiones graviſſimorum Medicorum (Neronis tempore) propriis ſuis remediis ſine ambagibus prævaluiſſe. Inſuper alia laus illis cenſenda eſt, quod ſtudioſos ſe præbuerint, ſciendi cupidos, & litterarum laboribus aſſiduos, ut à vulgaribus hominibus ſecernantur: & eſt quædam capiendæ Virtutis honeſta ambitio, per quam uti dicebat Ariſtoteles 3. Politicorum laudari, & ab aliis diſtingui merentur. Et etiamſi à Veritate aberrent, nec benè ſentiant; non ob id quòd non recipiantur, damnandi ſunt: contingebat enim idipſum tempore Hippocratis; attamen de Medicis hujuſmodi in hunc modum loquebatur. *Nunc verò multi jam ſcripſerunt, nullus autem rectè novit, quidnam fuerit ipſis ſcribendum, & alii quidem aliud aſſecuti ſunt, verum totum nullus ex prioribus. Immeritò autem ullus aliquis ipſorum reprehendatur; proptereà quod invenire non potuerunt. Immò laudandi potiùs omnes, quia inveſtigare conati ſunt.*

De Vſu, & abuſu remed. Chimic.

Primo de diet. num. 10.

Sed dicet aliquis: Rerum Inventores à priſcis hominibus pro Diis habiti fuere; ſic Vulcanus, quia ignem reperiit; ſic Saturnus, quia Agrorum culturam: ita Mercurius, quia Eloquentiam, multaſque Artes; ſic & Recentiores magno obſequio teneri mereantur: quandoquidem ſolertiâ, & ingenii fæcunditate, tot nova, tot pulchra, & ſecundum illos tot utilia reperierunt, tàm in Theoricâ, quàm in Praxi; ut iis ſuum tribuendum ſit Jus, ſuum decus, conſiterique eorum Minerva, medicinam totam, & in Habitu, & in Uſu maximè fuiſſe locupletatam, ut debeant Medici omnes ipſis aſſentiri. Prorſus quidem; at non eſt paritas, quia toto Cœlo diſtabat tunc Mundus ille Puer ab hoc Mundo Sene: tunc enim multiplicabantur Entia cum neceſſitate ob neceſſariarum rerum defectum: nunc autem quæ de novo parantur, ſunt in luxum, & in perniciem. Inſuper Artes per ea principia quæ fuerunt inuentæ, nunquam mutatis per eadem increvere: atque per eandem ſemitam non per aliam ſuperauctæ, ad perfectionem redactæ ſunt. Sed novitatibus everſiones meditari,

Polid. Virg. de Invent. Rerum.

non eſt

Digitized by Google

non eſt Legum & Artium Inſtitutores imitari, ſed Catilinam. Cum enim accedente forma recedat Privatio, ita in Arte Medicà ſancitis Veterum medicorum fundamentis, non erat occaſio nova venari ad hoc ut deſtruerentur; ſed per eamdem viam ad plurimum complere, atque perficere. Ubi digredientes per omnia Inſtrumenta Medica habemus pulcherrimam illam Hippocratis animadverſionem in Fonte Dietetico dicentis. *Quia etiam in hunc uſque diem exercitiorum, & reparandarum Virium curam gerentes ſemper aliquid amplius adinvenimus juxtà eamdem viam inveſtigantes, quod quiſque edens, aut bibens maximi ſuperet, & ſe ipſo fortior evadat*. Sed advertatur dicit *per eamdem viam*, Rationalem videlicet & methodicam, quæ ſola habet continetque quid agendum, & uſum: ſeu dicatis rectam adminiſtrationem, quamvis materia varietur. Sic ſi loquamur de Dieta in morbis acutis Hippocrates eam de novo conſtituit: Galenus quoq; contrà Aſclepiadeos, & Diatritarios reſtituit, & innovavit. Sicuti & jugiter Sorbitiones, & Potiones innovantur etiam ad ægrorum jucunditatem: ſed aſſiduo eadem via, quę optima methodo jam fuerat conſtituta. Similiter in Fonte Chirurgico de novo introducta ſunt, & Inſtrumenta, & operandi modi: nam alio quoque & faciliori modo extrahitur calculus, ab eo quo faciebant Antiqui: faciliori adhuc modo celebratur Paracenteſis; & alia ferramenta leniora ab eo quo Albucaſis; meditatus eſt Hieronymus ab Aquapendente: & tàm machinamenta, quæ à Galeno, & Oribaſio pro luxationibus expoſita fuere, mitiora noſtrates introduxerunt; ſed aſſiduo *per eamdem viam*, ut tutò, & citò, & jucundè medeatur: innixi omnes in iis principiis, quæ poſita fuere ab Hippocrate in libro tàm de Medico, quàm de Medici Officinà; quia tunc temporis Medici quoque Chirurgiam exercebant: præter quam in Calculi extractione ut in ſuo Jusurando fuerat pretextatus Hippocrates. Denique in Pharmacià, ut deſeram ea, quæ de novo Remedia tàm ſimplicia, quàm compoſita præcipuè ab Arabibus, nec non ab innumeris medicis introducta fuere, & per Anthidotaria leguntur: Habemus de novo Celebrem, ac tutiſſimum ſirupum illum à Fernelio meditatum: habemus à Capivacceo moderationem decocti Guajaci, Aquam celeberrimam cordialem Saxoniæ, & Uſum Phenigmorum: habemus Aquam Stibiatam, quæ à Medicis noſtratibus Patavinis inventa eſt: Gaſpar Donnolus Avvus meus, qui floruit Senis, & qui jam deſtinatus pro Archiatro Sereniſſimi Franciſci Medices tunc Temporis Magni Etruriæ

In Lib. de Arte.

Ducis

Ducis, de novo poſuit primus in uſum, Aquas Ruſſellanas Potabiles, vulgò in oris marittimis dictas *del Bagnolo*, ſimiliter & confectionem Ducalem. Ut ex his agnoſcatur, quod ſemper data fuit libertas addendi, innovandi, perficiendi, ſed omninò per eamdem viam, per eumdem callem, qui per fundamenta *Hippocratis*, & Galeni fuerat conſtitutus, & non alia via arbitraria per quam Recentiores, tamquam fermentum vetus erumpunt.

At quid erit nobis ſatisfaciendum Novatoribus, ſi fortè obiiciant: quod majora ſcandala à nobis perpetiuntur: quia velimus opere, & ſermone, in factis, & dictis, in Congreſſibus, atque Conſultationibus ſumus inter nos adeò adverſi, & dicaces, ut valeat de nobis, *Sat. 5.* dictum illud Perſii.

Mille hominum ſpecies, & rerum diſcolor uſus,
Velle ſuum cuique eſt, nec voto vivitur uno.

Hinc adagium illud, turba ſe Medicorum periiſſe, hinc contentiones, & diſſentiones: utſi in hoc ancipiti ægrotantes natant, multò minus illis officit Novatorum contrarietas; ut magis Placita, & Siſthemata Recentiorum tolerentur, quam Veterum Doctrinarum diſtorſio. *Hunc* enim procedendi modum Hippocrates ipſe fovebat *1. de morb vum. 1.* dicendo: *Hac ratione obſervare oportet, & in contradictione aggredi, & impetere*, ut ſepè ſepiùs inter nos ſimiles, quam inter eos nobis diſſimiles Bellum hoc Civile excitetur, atque conſiſtat. Benè quidem: *Loripedem rectus derideat Æthiopem albus?* Etenim non valet hæc paritas, quia eorum principia ſunt toto genere à Galenicis diverſa, quare rationabiliter admitti non debent: unde inter eos, & nos non eſt diſſenſio de opinione agendorum, ſed de fundamentis quidditativis, & conſtituentibus Artem, ut ob id reſpuantur, & ſecundum modum dicendi Galeni in Lib. de Sectis eſſet idem ac hæreſes in Doctrina Medica admittere; quod tàm Medicis, quàm ægrotis ſenſibiliſſimum foret. In opinionibus verò medicorum Methodicorum, diſcordià alio reſpectu ſe habet: quia primò inter nos concordamus in principiis, & Artis conſtitutione, unde habitus ſcientificus eſt ſemper idem, & non diverſus, ſed per modum intelligendi, & res ipſas concipiendi; unus medicorum poteſt elicere Veritatem, alius opinionem probabilem, alter in errorem labare: & hoc tàm voce, quàm calamo tàm extrà, quàm intrà congreſſus, quàm in Exedris docendo contingere facillimum eſt: quod tamen non eſt inducendum ad fallaciam, ad errorem, neque ad ignorantiam: quia talis opinio non

eſt

eſt illius generis, de qua ratiocinabatur Hippocrates in Lege, dum dixit: *Duo enim ſunt Scientia, & Opinio, quorum altera ſcire facit, altera ignorare*. Quandoquidem opiniones hujuſmodi non ſunt Idiotarum, vel Ambitioſorum Medicorum, propter quas majeſtate manus loquentes omnia ſibi arbitrari videntur; ſed eſt opinio ſcientifica, quę per apparatum doctrinæ, in ſententiam, & in judicium eructat; circa ea quæ tàm ad cognoſcendum, quàm ad agendum meliora viſa ſunt: adeò ut per eamdem viam unuſquiſque potiora, certiora, & utiliora demonſtrare conatur, quod ſi aliquis neque ſciat, neq; ſapiat, & temerè loquatur, vel agat; tunc licet *in contradictione aggredi, & impetere*: ut ob id hoc facere non ſit ſcandalum, non Bellum Civile, ſed ingenii conatus, ut conſequatur in ſcientia veritas, atque in ægrotantibus ſalus: quod etiam apertiſſimè in Politicis, & Bellicis rebus expenditur. Cato enim in Senatus Conſulto intelligebat evertionem Cartaginis; Scipio autem Naſica è contrà tuebatur oppoſitum. Annibal apud Antiochum Magnum conſulebat totam expeditionem eſſe ad aggrediendam primo intuitu Italiam: Satrapę è converſo ſuſtinebant Bellum incipiendum eſſe ab Aggreſſione Finitimorum, & tamen meliora conſulere fundamentis communibus unuſquiſque cenſebat. Sed quid moror? Dabo vobis Exemplum præcipuum in medicina. In Pleurithide præſertim in principio, docet Galenus eſſe mittendum ſanguinem à Vena brachii partis affectæ: Avicennas verò è contrà præcipit, ut emittatur ab oppoſita affectæ partis, immò à locis remotioribus. Hieronymus Capivacceus magnus in Arte Vir laudat omninò Avicennæ ſententiam, eamque detinet; uti unuſquiſque in Capite proprio ex ſe legere poteſt. Martinus Acachia Vir & ipſe celebris totus in hac opinione cum Galeno eſt, ut ab initio Artis medicinalis, adeò hoc ſentire profitetur, ut Arabes omnes, & ipſum Avicennam vituperet. Sed adhuc tempore Caroli Quinti Imperatoris circa hanc ſententiam ſuperallatam mittendi ſanguinem in Pleurithide, Medici *Hiſpani* fuerunt inter ſe adeò diſſiti, adeò divulſi, ad invicem in claſſes diviſi; & diſſentientes; ut alterutrius opinioni non cederent, pro delenda contentione concordes ad Cæſarem acciverint, ad hoc ut ſuà Auctoritate quam Venam tundendam eſſe definiret: qui procul dubio ad libitum ſecandam decrevit; ratus Cæſar, quod ſi utrumque facerent, benè facerent: quia omnes ejuſdem doctrinæ fundamentis innitebantur, & conveniebant in unum; unde colligam benè dixiſſe Platonem (non re-

Saporitus Medicus Ianuenſis in ſua Ap.

cordor an in dialogo de Regno, vel in iis de Republica, vitam Ci-
vilem ceteris aliis ordinibus Virorum ſupereſſe, eam & Intelligenti-
bus imperare: hinc jure merito Phavorinus Philoſophus reſpondens
alteri ex Simpoſio, qui reprehendebat eum, quod ſub ſilentio præ-
teriiſſet nonnulla, quæ ab Adriano Imperatore abſurdè videbantur
prolata, dixit: me triginta Legionibus imperantem doctiorem eſſe.
Ad rem noſtram redeuntes: Differentiæ opinionum, quæ emergunt
inter Galenicos, collimant non deſtruunt Artem, eæ verò Sectario-
rum, ſed ut melius dicam Sagittariorum deperdunt eam, atq; con-
fundunt: ac ſicuti dicebat Cicero velle ſe potiùs cum Platone errare,
Marſil. Ficin. in Vita Plat. quàm cæteris Philoſophis aſſentiri; ita & qui Veterum ſolida Domi-
cilia tenent, fragilium Novatorum Caſtra refugiant; niſi aliquid
aliud ex eorum Remediorum materia exploretur. Cum autem non
temporibus Menelai, neque Alexandri Macedonis ſimus, in quibus
ingratiſſima Pharmaca Magnates, à ſuis Medicis propinata non faſti-
diebant: ſed in quadam tempeſtate coſtituti; ubi quamvis ab Avi-
cenna ſyruppus Roſatus ſol., cum infuſione Rhabarbari dicebatur
medicina Regum, à vulgaribus etiam hominibus pre moroſitate ab-
horretur; hinc eſt, quod ut jucundius medeamur, ægrotoſque
ipſos reddamus faciliores, atque paratos; neceſſe ſit interdum ad
eorum Remediorum materias confugere: eo modo quo dicit Corne-
lius Celſus in curatione Cephaleæ, quod quandoque morborum
Auxilia etiam temeritate aliqua ſint meditanda: ita tamen ut noſtra
Methodo, & perceptis percipiendis, affabre dirigantur, & hoc
gratia tantum ſuavitatis non certitudinis: quia etiam ſi Febrifuga fe-
bres dimittant, non ſunt tuta.

Quid ergo agendum in tanto rerum diſcrimine? Ubi jam hæc No-
vatorum potentia prævalet, à quorum Democratia Optimatum
Gubernatio jam attrita premitur, atque torquetur? Pethaliſmo for-
ſan, ut Syracuſani; aut Oſtraciſmo, ſicut conſueverunt Athenien-
ſes, Magnates hoſce, qui totum Orbem obumbrant, Novennale,
vel Quindecennale Exilium parabimus? vel jurgiis, & promiſcuis
dimicationibus inſequemur? Non prorsùs: quia multo nobis for-
tiores ſunt, neque debemus ignem gladio fovere, neque cum Pi-
thagora dexteram ad omnia facilè iniicere: quia ibidem docuerat, *cor*
In Simb. *ne vores: & flantibus ventis Echon adora*; Sed hoc Civile Bellum paciſci,
componere, & pro bono publico ad Pacem pro Viribus revocare.
Et ſicuti Plutarchus ab inimicis, ſicuti Cardanus à rebus adverſis,

quomodo

quomodo emolumenta capiamus jam docuerant: ita & nos fœdus, & frugem capientes; Veterum doctrinam melius, atque melius erimus confirmaturi, dilataturique; ſi Athenienſium more mittemus hos præpotentes, atque ſagaciſſimos Viros in Argivam, non tamquàm in exulatum, non in pœnam; ſed in officium, ut ſervent Bovem: quia ſicuti in ea Provincia Bos æneus magnæ proceritatis dicebatur ab illis foveri, ita & iſti in noſtro Lycæo ad Veterum Placita reverſi non amplius extorres; eorum ſolertia, & ingenii maturitate Bovem hunc ſervent, ac foveant, jam quod tali Pronomine inſcribitur, atque ſignificatur. Oh ſi horum ingeniorum vis, & conatus, ſi hæc magnorum Virorum præſtantia, ſi Authoritas nobiſcum concordia pacta, Antiquo Siſtemate reaſſumpto, vigilet, & incumbat in unum: ſive coeat, & in unum cætum cohabitet: Bovem nobiliorem, quàm in Argiva; celebriorem, quàm Solis Boves in Trinacria ab Homero decantati fovebimus, unà nacti majorem cum veritate gloriam. Quod ſi hoc facere abnuant: Bos noſter erit tamquàm in Laberinto Minotaurus; vel Phalaridis ille in ingeniorum cum fallacia tormentum. Quo igitur afflatu ipſe movebor, ut tot illuſtres Viros ad noſtram Sedem, ad noſtra Vexilla reducam? eo forſan, quo Brutus Populum Romanum in Aventino à ſeditione diſtulit? vel eo, quo Metellus Numidicus ſaltem pro bono publico eumdem Populum ad Connubia ſuſcipienda ſuaſit? aut illo, quo Julius Cæſar tumultuarios milites in quadam defectione tantùm eos appellando Quirites, ad compoſitionem emulxit? Non quidem: Quod ſi Coriolanum à Bello Civili, ab Aggreſſione dimovit Volumnia Mater: ſic & nos cum tota Antiquorum Medicorum Republica, tamquàm in Matrem collecta, orabimus hæc magna Ingenia, veluti tot Coriolanos; obſecrabimus, ut ad noſtra Caſtra properent, nimirùm ad ſuam Patriam, & in unam, atque tutiſſimam Doctrinam coaleſcant. Quod ſi, veluti Milo fecit, ſuis viribus fidant, ſi fruſtra, & per inane hæc verba revolverim, ſi tenui littus verſamus aratro; ſi itur ad Atridas: in deſperata denique re nil aliud mihi remanebit dicendum, deprecandumque pro his (jam quod inviſis Spectatoribus dimicamus) quàm illud cum Perſio;

Alexand. ab Alex. Lib. 2. cap. 20.

Magne Pater Divum ſævos punire Tyrannos
Haud alia ratione velis, cum dira libido
Moverit ingenium, ferventi tincta veneno
Virtutem videant, intabeſcantque relicta.

Sat. 3.

At ſi

At ſi è Voto neque hoc accidat; data mihi pace tantum, & quieſcente animo, dicendum mihi ſupererit hoc unum:

Iuvenal. Sat. 10. *Nil ergo optabunt homines? ſi conſilium vis, Permittes ipſis expendere Numinibus: quid Conveniat nobis, rebuſque ſit utile noſtris.*

Si adhuc hæc projecerimus, vertamur ad ipſos, & cum jam Neoterici ſint tot Theſſali; liceat Hippocratis verbis uti conſiſtentis ad Aram; nimirùm: In Epiſt. p. 42. *O vos multi, & multarum Urbium habitatores in magna dignitate conſtituti communi nomine Theſſali: omnibus hominibus amara neceſſitas incumbit, ut quæ à fatis ſtatuta ſunt, ferant.* Sed quænam poſſunt eſſe fata iſta inter Medicos? Invitus dicam: Plurimùm diſcrepare, minimùm convenire. Quandoquidem, ut fatetur Hippocrates, Ibidem p. 31. *& ipſe inventor Æſculapius in multis à ſe ipſo diſſenſit, quemadmodùm nobis Scriptorum Libri tradiderunt.* Ut omninò cum Platone in Alcibiade ſit concludendum, quod in hac erroris nebula *il Malum ignorantia Optimi, & quod Optimum eſt ignorare:* quod eſſet apud nos idem, ac dicere: Solidam Antiquorum non ſequi Doctrinam.

FINIS.